This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

UNS. 166 g. 37

TAYLOR INSTITUTION

DOMINUS ILLUMINATIO MEA

Ex Libris Josephi Georgii de Thomas Lavernede Convictoris mazarinei

---

Constitit 30 asses Turonenses — parisiis Die 24â mensis 9bris 1789.

POETARUM
EX
ACADEMIA
GALLICA,
Qui Latinè, aut Græcè ſcripſerunt,
CARMINA.

PARISIIS,
Apud ANTONIUM BOUDET, viâ Jacobæâ.

M. DCC. XXXVIII.

TAYLOR INSTITUTION
UNIVERSITY
30 SEP 1955
OF OXFORD
LIBRARY

ACADEMIÆ GALLICÆ XL-VIRIS.

QUÆ veſtra in Gallicam linguam ſint merita, neminem ex iis qui cum humanitate & cum doctrina commercium aliquod habent, ignorare arbitror. Culta ſanè per vos, expolita, illuſtrata, eò dudum pervenit dignitatis ac præſtantiæ, ut in Europa gens nulla ſit, quæ ſcire Gallicè non ſibi eſſe honeſtum putet; indecorum, neſcire. Quod verò non perinde omnibus notum fortaſſe, quamvis non minori cum veſtra laude conjunctum,

ARGUMENTA

ECLOGARUM.

I. *Vitis puella, & Ulmus paſtor, ob violatam fidem quam illa Baccho juraverat, in arbores cognomines mutantur.*

II. *Iris Junonis nuntia, repulſo Mercurio, Phœbi blandimentis capitur. Mercurius furtivos Iridis amores defert ad Junonem. Illa, re compertâ, Iridem obſcuras in nubes relegatam æterno divortio à Phœbo diſtrahit.*

III. *Magnes, calorum explorator ſagax, cùm in eam deflexiſſet impietatem, ut naturam, Diis ſublatis, omnium rerum parentem diceret, in Lapidem ab Jove converſus eſt: illius ſectatores in Ferrum.*

IV. *Aparines fidem precibus & obſequiis expugnat Ganymedes, nec multo pòſt tempore in cælum transfertur. Illa, cùm ereptum fraude maritum diù ac fruſtra quæreret, nimioque deſiderio tabeſceret, morte optatâ, in Aparinen plantam mutatur.*

V. *Pico avaro filia erat, quam Mercurius, amore ductus, ad facundiam & furandi artem informaverat. Mox tamen illa ad Niſum convertit animum; eoque monſtrante patris theſauros, in cavam arboris corticem reconditos, clam ſuſtulit. Picus, re compertâ, impia fundit convicia in Mercurium furti doctorem; à quo & hic, & filia, ipſeque Niſus in aves mutantur.*

VI. *Lampyris puella, amiſſum monile dum in ſylva quærit noctu accensâ lampade, à Diana in eam mutatur, quam cicindelam Latini, Græci lampyrin vocant.*

VII. *Palladis galeam atque arma veſteſque, quas lavandi causâ exuerat, ruſticana ſibi puella induit, ac ſe oſtentat pro Deâ: indignata Pallas eam in alaudam mutat, quæ Galerita dicitur.*

VIII. *Salamandra, virgo Sicula è Proſerpinæ comitatu, illatam corpori à Vulcano injuriam non ferens, in medios ignes & æſtuantes Ætnæ caminos ſe conjicit; quam Vulcanus in lacertam vertit cognominem.*

IX. *Mimus, Protei filius, ad omnem imitandi omnia effingendique artem à patre inſtitutus, dum Vulcani habitum ridiculè exprimit, ab eodem vertitur in ſpeculum.*

X. *Meliſſam, quæ Jovi data nutrix à Cybele fuerat, legendis floribus intentam aggreditur Titanis filius Crabro. Illa juvenem telo confodit, & pudicitiam tuetur. Titan, Saturni ope, filii mortem ulturus, Meliſſam ad pœnas repoſcit. Saturnus Nympham in apem mutat.*

PET. DAN. HUETII ECLOGÆ.

I.

VITIS.

AD CLAUDIUM SALMASIUM.

ET nos infauſtum Vitis referamus amorem,
Quóque modo juvenem dum cæca amplectitur Ulmum,
Formoſum tortâ mutaverit arbore pectus.
At tu, ſive leves ſcriptis ulciſceris Anglos;
Dogmata ſeu torvo referas dictata Cleanthi
Porticibus quondam pictis, ſeu quo ordine quondam
Conſtiterit patriis acer Romanus in armis,

Claudi, noſter amor, tenues ne deſpice luſus.
Tempus erit cùm nos, adſit modò fauſtus Apollo,
Jam paſtoralis ſpernentes carmina Muſæ,
Rite ſuum Divis olim dicemus honorem,
Et Divûm genus Heroas tollemus ad áſtra.
Tum quoque, Salmasi, noſtro celebrabere cantu,
Si modò non refugis, miſtuſque videberis illis.
Dum ſummo quondam Parnaſſi è vertice Bacchus
Proſpicit, atque oculis latè circùm omnia luſtrat,
Plurima floriferis exultat Oreas in arvis,
Et ſimul implicitis manibus per gramina feſtas
Exercet choreas; quas inter candida Vitis
Emicat, egregio tantus decor inſidet ori.
Hanc Deus ut vidit, venis ut concipit ignem;
Et molli nitidos infigit pectore vultus.
Continuò ſpeculâ præceps erumpit ab altâ,
Et placido primùm Nympham ſermone ſalutat;
Inde etiam officiis permulcens omnibus ambit.
Nec Dea dedignata Deum eſt: mox victa doloſis
Obſequiis roſeas ardentem excepit in ulnas.
Scilicet ex illo paribus conjunxit amantes
Unus amor nodis, una arcto copula nexu.
Interea longum nigros carpebat ad Indos
Bacchus iter, cædeſque viris ac vincla parabat.

Protinus attonitâ turbatam mente puellam
Triſtis adit, mœſtis & fletibus ora rigantem.
Jamque vale, mea Vitis, ait; me juſſa Tonantis
Extera nunc cogunt invitum quærere regna.
Adjuro pice torrentes & ſulfure ripas
Non aliàs tantum me ſuſcepiſſe dolorem.
Finibus at poſtquam me fatum extruſerit iſtis,
Seu teretem verſas arguto pollice fuſum,
Seu clamore premis timidos ad retia damas,
Seu levibus comitum ſaltas immiſta choreis,
Vive memor noſtri; non unquam oblivia vultus
Ulla tuo poſſint è pectore tollere noſtros.
Dixit, & averſo torſit veſtigia greſſu.
Illa quidem, ut perhibent, curis ingentibus ægra
Fugit, & in ſylvis ſeſe Dea condidit altis,
Multa gemens, magnoque animum labefacta dolore;
Dum precibus variis Superos cælumque fatigat,
Atque ſui fruſtra reditum ſibi poſcit amantis.
Aurea jamque ſuum bis Luna impleverat orbem:
Illa per umbroſos ſaltus, ſcopuloſque ſonantes,
Errabat demens animi, lymphataque Bacchum,
Abſentem Bacchum repetitâ voce vocabat;
Ipſa cavis Bacchum referebat vallibus Echo:
Cùm gemitum & Nymphæ vocem procul audiit Ulmus,
Florea dum lentus pecudes per gramina paſcit,
Inter paſtores longè pulcherrimus Ulmus.

Audiit, atque illuc ſuſpenſis greſſibus ivit;
Flebilis unde dabat ſe vox, triſteſque querelæ.
Atque is, dum frondes inter proſpectat opacas;
Incerto mœſtam vidit ſub lumine Vitem,
Et procul obſcurâ vultus agnovit in umbrâ,
Fletibus humentes vultus, lacrymiſque decoris:
Ille quidem fletus Nymphæ miſeratur acerbos,
Nec-non & Nymphæ vultus miratur & ora.
Haud mora de latebris audax ſe proripit Ulmus;
Turbataque dedit ſe coram Vite videndum.
Mox prior hic, Quæ te lacrymantem incommoda tangunt,
O Dea, quis nigris cogit te condere ſylvis?
Namque Dea es, ſi quid divino creditur ori.
Hæc Ulmus. Vitis contra ſic rettulit Ulmo:
Nam ſecreta, puer, quis te loca quærere juſſit;
Furtivam ut noſtris præberes luctibus aurem?
Quod petis, haud promptum eſt longum narrare laborem.
Sic ait, atque alios agitabat mente receptus,
Cùm tali juvenis dubiam ſermone repreſſit:
O utinam tantos poſſim lenire dolores!
Hîc ego dum paſco ſimas per rura capellas,
Auditur luco gemitus lacrymabilis imo;
Scilicet accurri. At ſi quidquam opis indiga noſtræ es,
Nuſquam abero, non me officiis ſuperaverit alter.
Sed nunc in ſylvis vitam quid tranſigis atris,

More feræ ? noſtris potiùs ſuccedito tectis :
Et ſunt noſtra quidem tecta huic contermina ſylvæ.
Hîc varia inſtructas onerabunt fercula menſas :
Et noſter dare ſi qua valet ſolatia cantus,
Tale tibi blandâ modulabor arundine carmen ;
Quale ſub Arcadio cantat Pan ipſe Lycæo.
His permulſi animi, & ſenſim de pectore ceſſit
Quippe dolor, nec jam ſylvæ placuere ſilentes,
Jamque petit ſibi formoſo ſolamen ab Ulmo.
Bacchum amat illa quidem, ſed & Ulmum diligit illa.
Et dum Bacchus abeſt, præſentem diligit Ulmum.
Quid plura ? abſentem paulatim abolere Lyæum
Incipit, atque novo Vitis conſumitur igne.
Sæpe illam, Bacchi cùm fortè recurſat imago,
Mutaviſſe fidem pudet, & nil tale merentem
Deſeruiſſe Deum, pecoriſque arſiſſe magiſtrum;
Sæpe ſui vultus ſi fortè aſpexerit Ulmi,
Tum fortunatam tali ſe credit amante.
Ipſe etiam ſimiles traxit per viſcera flammas
Ulmus, & inſoliti ſtimulos perſenſit amoris.
Felix Ulme nimis, Vitem dum diligis, illa
Reſpondet curis, & amorem exæquat amore.
Jamque triumphatis victor remeabat ab Indis
Bacchus: eum circùm gravibus conſtricta catenis,
Nec bene ſervitii patiens gens decolor ibat.
Ille ubi felici notas pede contigit oras,
Prima videre ſuam tanto pòſt tempore Vitem.

Cura fuit, ſolitaſque audire & reddere voces.
Necdum etenim Vitis veſanum, Bacche, furorem
Audieras. Nymphæis ſubitò ſe ad limina profert.
Nympha per umbroſos, Ulmo comitante, receſſus,
Deliciaſque hortorum inter, florentiaque arva
Iverat, & niveis Ulmum tum fortè lacertis
Amplexata, ſibi æternos optabat amores.
Cùm procul hærentem juveni, mollique foventem
Complexu, torvo reſpexit lumine Bacchus.
Ilicet irarum violento percitus æſtu,
Ergone, ait, noſtrum potuiſti fallere numen,
Immeritumque dolis fraudaſti, perfida, Bacchum?
Ergo puella meos impunè irriſerit ignes,
Supplicioque ſcelus, meritâ nec morte rependet.
Juppiter, ô! noſtri ſi verè ſanguinis auctor
Diceris, & non ulla tuæ te tædia prolis
Cepere, ingratam pœnas da ſolvere Vitem,
Quas meruit; nec ſe pœnis ſubduxerit iſte,
Sitque in morte comes, ceu turpi in crimine, paſtor.
Audiit Omnipotens gemitus & vota rogantis.
Continuò amborum terræ veſtigia figit.
Tum verò ramos digitis exire videres,
Et viridi comptos involvi fronde capillos.
Jamque ſuum ſentit nodoſo cortice pectus
Nympha tegi, & rigido mutari viſcera ligno.
Tu quoque ſupplicio, Paſtor, damnatus eodem,
Pro capite excelſum tollis ſuper aſtra cacumen,
Pro pedibus lentâ radice in Tartara tendis,

Emoriturque vagus procero in corpore ſenſus.
Sed quamvis duro ſepti ſint undique libro,
Lumine caſſi ambo, penituſque ſit arbor uterque,
Una tamen ſemper miſeris ſententia reſtat;
Hæc Ulmo æternùm dum vult hæſiſſe marito;
Hic tenuiſſe inter dilectam brachia Vitem.

II.

IRIS.

FIda comes Junonis erat Thaumantias Iris;
Nuntiaque in terras Divæ mandata ferebat,
Sueta caput variis florum vincire corollis.
Hanc tranantem auras, & vectam nube curuli
Viderat æthereâ ſublimis Phœbus ab arce:
Viderat, & totis admiſerat oſſibus ignem.
Longè illi tunc Œbalides, Peneia longè
Virgo fuit; formoſa animo ſola hæſerat Iris;
Et veteres ægro pellebat pectore curas.
Ergo diem quoties cælo revehebat aperto,
Aut Tarteſſiacis tingebat fluctibus axem,
Irin per cælum, per terras ſaucius Irin
Veſtigat radiis. Nec tantæ hæc neſcia curæ
Senſerat obtutus, haud aſpernata, benignos,
Læta Deo, & furtim captabat lumina Solis,
Et decedenti ſeſe dabat antè videndam.

Præcipuè quoties prætexere ſuetus amori
Officium Phœbus Junonia tecta ſubibat,
Comptior hæc ſolito velaverat antè recenti
Flore caput, pictâque aderat perlucida pallâ.
Dumque miniſterium ſolers obit, & modò Divæ
Candida puniceis ſubnectit crura cothurnis,
Effuſaſve comas dentato dividit auro,
Interea limis Phœbum reſpectat ocellis,
Signa notat, vultumque Dei, nutuſque loquaces.
Mox quæcunque gerit, quoquo veſtigia flexit,
Phœbus adeſt, hæretque comes: non horridus arcu,
Qualis in adverſos mittebat tela Gigantes,
Aut qualis tumidum ſtravit Pythona ſagittis;
Sed placidus, ſed mitis adeſt; nunc mollia ſupplex
Verba jacit, nunc blanditos dat pectore queſtus,
Viſaque formoſis humeſcere fletibus ora.
Iri, inquit, mea lux, ô noſtris pulchrior Iri
Luminibus, tibi par toto nil vidimus orbe,
Cùm cælum & vaſtas luſtramus lampade terras.
Te ſine nox atque umbra ſumus: ſimul aurea cælo
Exoreris, noſtro clarum decus additur aſtro.
Felix ille, tuos potuit qui cernere vultus;
Flectere qui pectus poterit, felicior ille.
Ipſa ſuperciliis quiddam vocalibus audax
Annuit, & placito vix tandem pugnat amori.
Ergo ubi jam primo tentari percipit igne
Virgineum pectus, nitido munuſcula cultu
Addit, Erythræo quæſitas littore conchas,
Intextaſque

Intextaſque auro veſtes, & florea ſerta;
Et quæ multa leves proleƈtant dona puellas.
Quondam etiam, ſi fortè vacat, nec juſſa morantur
Junonis, placidis demulcet cantibus Irin,
Argutos tereti perſtringens peƈtine nervos,
Divinumque modis aſpirat Phœbus amorem.
His penitùs molliti animi Thaumantidos, & jam
Viƈta labat: non occultum ſub peƈtore vulnus
Secum alit, aut cæcos tacitus pudor opprimit
æſtus:
Dulcibus illa palam flammis favet; anxia cælo
Quærit amatorem paſſim, arridetque reperto.
Compellat, miſcetque jocos, nec ſola recuſat
Colloquia, & lenes ſerâ ſub noƈte ſuſurros:
Non thalamos ſubeuntem arcet, foribuſque repellit.

At non hæc Majâ genitum latuere per auras
Labentem cælo, & rapidis talaribus aƈtum.
Ad roſeam priùs hic oculos adjecerat Irin;
Sed duram obſequiis mentem expugnare puellæ
Dum ſtudet, illa Dei vanum fruſtra laborem
Reſtitit, & blandos aliò convertit amores.
Scilicet is ſævum duxit memor inde dolorem.
Altè hærent animo, prælati injuria Phœbi,
Faſtiditi ignes, turpiſque offenſa repulſæ.
His ſuper accenſus, poſtquam æthere vidit ab alto
Iridis admiſſum furtim in penetralia Phœbum:
Illane, ait, tandem, præ te quam, ſanƈta, ferebas,

Illa pudicitia eſt ? hic eſt rubor ille modeſtâ
Fronte ſedens, timido dejectaque lumina vultu ?
Cùm juvenum cœtus fugiens caſtiſſima virgo,
Interiora domûs peteres, atque abdita clauſtris
Oppoſitam firmo munires objice portam.
Appliciti foribus nos ſupplex turba ſedemus:
Ornant ſerta feras, triverunt oſcula limen,
Et fruſtra ad ſurdos jactamus carmina poſtes;
Tu nos interea poſtico, ſubdola, fallis,
Et furtiva patet venienti janua Phœbo.
Hunc juvat inde meas ridentem audire querelas;
Et tecum dulces per noctem ducere ſomnos.
Veſtrorum at certè ſit Juno teſtis amorum,
Dîque, Deæque omnes. Superas ſic fatus in auras
Tollitur, & celeri Junonis ſacra volatu
Tecta petit. Juno auratis tum fortè ſedebat
Porticibus, magnâ Divûm ſtipante coronâ.
In mediis adſtans Tegeæus, Nunc ades, inquit;
Nunc ades, ô Juno, tua te ſibi poſtulat Iris,
Illa tuarum Iris teſtiſque & conſcia rerum.
Neſcio quis thalamos irrumpere virginis auſus
Dicitur oppreſſam validis retinere lacertis
Per mediam noctem, dum tu alto cum Jove dormis;
Omnia conſimilis Phœbo, faciemque, coloremque,
Et rutilos auro crines, floremque juventæ.
Et nunc ille quidem thalamo latet abditus; at mox,
Ni properas, vigilum curas eluſerit omne,
Erubuit regina Deûm: nec talia credit

Mercurio narranti, aut ſe non credere fingit.
Exilit illa tamen regali ſede, viamque
Iridis ad ſedes cita corripit. Ocyus omnes
Confluxere Dei. Cùm Nymphæ ad limina ventum eſt,
Impulit obductos tacito molimine vectes
Protinus, & celeri Juno petit intima greſſu.
Heu virgo infelix! thalami malè tecta latebris,
Languida dum molli declinas lumina ſomno,
Et vos cæcus amor lecto complectitur uno,
Inſcia cælituum præbes ludibria turbæ,
Nec te ſæva oculis Saturnia conſpicit æquis.
Junonis ſedenim mentem pudor, iraque turbant.
Surgite, ait, tandem, pàr nobile, ſurgite, amantum:
Sat luſu ſomnoque datum. Nunc nubibus, Iri,
Conditor obſcuris, & nigro carcere cæli,
Quæ turpi ſacros fœdaſti crimine cœtus.
Te verò, nivei corruptor, Phœbe, pudoris,
In cæli oppoſitas jubeo diſcedere partes.
Sic ait, & flentem famulæ Thaumantida duris
Conſtrictam vinclis in nubila cæca relegant.
Hîc latet, hîc longo mœrens conſumitur ævo.
Sed quamvis miſeram violati fama pudoris
Angit, & æterni tenebroſus carceris horror,
Plus Phæbo caruiſſe dolet: gemit irrita vota,
Vanaque conjugia, & fruſtra inceptos hymenæos.

Nunc etiam; ſi fortè imis conſpexit ab antris
Adverſo Phœbum ſpatiantem limite cæli,
Ilicet impatiens vinclorum erumpere geſtit
Quà datur, & ſummâ rutilum caput exerit æthrâ;
Præcinctum ſertis diverſicoloribus Iris;
Te ſolum, te, Phœbe, petens, ſi qua aſpera fata
Rumpat, & ereptum ſibi reddere poſſit amantem.
Sed Superûm decreta vetant, & ferrea Juno
Triſtia manſurâ ſancit divortia lege.
Ergo amens animi Thaumantis filia largos
Solvitur in fletus; lacrymis manantibus æther
Perpluit, infauſtoſque Deæ teſtatur amores
Uſque coloratis deſcendens nubibus imber.

III.

MAGNES.

MAteries oreris noſtro digniſſima verſu;
Myſta ſagax cæli, naturæ nobilis index;
Accola piſcoſi, Magnes, memorande Cayſtri.
Tu tentare domos ſuperas, tu ſidera pernox
Metari, & rerum meditando extundere cauſas
Auſus eras; tu naturæ ſecreta latentis
Diſcipulorum inter denſas vulgare cathedras.
Lydia te ſtupuit tellus, te Mæonis ora,
Boſporus, & ſparſæ te Cyclades æquore toto;

Te Tyros, & Serum gentes, atque ultima Thule.
Invida ſed Nemeſis præclara intercipit orſa.
Nam dedignatus ſpes affectare caducas,
Ut ſuper humanam ſublimia pectora ſortem
Extulerat Magnes, non illum tetra libido
Illecebris vinctum tenuit, non pocula Bacchi,
Non animum fregere dapes, riſuſque, jocique,
Non chelys, & ductæ levia inter carmina noctes.
Non, ſtudiis vulgi aut populari obnoxius auræ,
Quærit opes, claroque parat ſplendeſcere cultu.
Aſt hominum fugiens cœtus, loca ſola frequentat.
Nunc vagus Ægæi vacuam legit æquoris oram,
Nunc Sipyli valles lentus jacet inter amœnas,
Aut latet umbroſis Tmoli projectus in antris,
Dum mens nobilibus doctrinæ exercita curis,
Emicat, atque gravi membrorum mole ſoluta,
Abdita ſcrutatur naſcentum exordia rerum:
Unde graves terræ, fluidum mare, mobilis aër,
Ignis edax; quæ vis tenerum compegerit orbem,
Duxerit inque novas concreta elementa figuras;
Miſſus an Æoliis prorumpat ventus ab antris;
Quæ fluvios urnæ campis fonteſque miniſtrent.
Noverat ille quibus liquefacta metalla caminis
Fundat, & in ſolidum duret natura rigorem;
Quid ſilicis venis incluſos alliget ignes;
Fulmen ſponte cadat, vindex an ab æthere mittat
Tela Deus Siculis Cyclopum cuſa cavernis;
Quid quatiat terras; refluum cur æſtuet æquor

Motibus alternis;pluvium quis contrahat arcum,
Et varios pingat roranti in nube colores.
His animum poſtquam ſpatia inter longa dierum
Intendit ſtudiis, cælo ſurgentibus aſtris,
Protinus alta petit Mycales, celſive Mimantis
Culmina, quà partem patuit proſpectus in omnem:
Hîc cælo fruitur per noctem liber aperto,
Et mundi in varias oculos circumtulit oras.
Aſtra notat, ſignatque ſitus, quâ parte ſub undas
Prona cadant, quâ parte ſuos revehantur ad ortus.
Solis hic obliquos duodena per aſtra meatus,
Solſtitiique moras, æquataque tempora noctis
Atque die, longo rerum perſpexerat uſu.
Ergo ſigniferum ſegmentis quatuor orbem
Dividit, & gradibus decies ſegmenta novenis;
Singula comprendant partes ut ſigna tricenas,
Integer & totum deſcribat circulus annum.
Hic primus gemino deprendit cardine ferri
Sidera, & immotum rapidæ vertiginis axem
Immenſos cæli penetrare volubilis orbes.
Cætera dumque levis circùm rapit impetus, illos
Certis ſtare locis, ſedeſque tenere quietas.
Hos Graii dixere Polos, quorum infimus alter
Tantum atro ſub Dite latet, ſtygiiſque tenebris,
Quantum alter claro fertur ſublimis Olympo.
Proxima contractis volvuntur ſydera gyris,

Arctophylax, Coluberque ingens, atque Arcades Urſæ.
Huc mentem, huc vigiles oculos advertere Magnes
Sueverat, & motus numeris ſignare, locoſque.
Inde rudes pelagi nautas, vix ſumma legentes
Littora, vix trepidis auſos vada ſcindere remis;
Pandere vela jubet pelago, terriſque relictis
Aſtra ſequi, claroque docet confidere cælo.
Imprimis geminas attendere juſſit ad Arctos,
Arctos æquoreo fugientes gurgite mergi:
Ut Tyrias Cynoſura brevi regat orbe carinas;
Et Grajas Helices agat ingens circulus alnos.
Quinetiam vigili deprendit ſedulus arte,
Quot gradibus terras ſuperet Polus. Æreus axis,
Gnomona quem Graii patriâ dixere loquelâ,
Cuditur, ut magno mundi reſpondeat axi.
Altera pars impacta ſolo eſt, pars altera ſurſum
Erigitur, ſpectatque Polum, monſtratque per umbras
Solis iter, ſpatiis & tempora dividit æquis,
Biſſenaſque diem ſolidum partitur in horas.
Quæ poſtquam ſtudio fuerant comperta ſagaci,
Privatos non hæc tacitus ſervabat in uſus;
Edebat diſcenda palam, cœtuque frequenti
Intima pandebat magni miracula mundi.
Atque hæc Magnetis demum dictata ſecuti,
Artibus egregiis vitam excoluere nepotes,

Quos Syros, quos alta Samos, Grajæque Crotonis
Felix ora tulit, Lacedæmoniumque Tarentum,
Doctorumque Pharos nutrix fœcunda virorum.
Illo Pythagoras redivivus dogmata fonte
Hauſta tulit populis Italûm, quæ deinde ſecutus
Edidit Archytas inter pineta Galeſi;
Et docta Archytæ ſoboles Ægyptius Horos,
Quique novum ſydus gaudentibus intulit aſtris
Regalem Bereniceo de vertice crinem.
Hæc hominum faciles animos, juvenumque, ſenumque,
Hæc adoleſcentum mentes cepere novellas.
Noctes atque dies affixi poſtibus hærent,
Circunſtant, urgentque virum, prenſantque rogando.
Ille rudes format populos, obſcura reſolvit,
In dubiis reſponſa refert, animaſque jacentes
Tollit humo ſurſum. Juvat ire per æthera magnum
Hoc duce, & occultos terræ penetrare receſſus,
Aëriaſque domos, & avari viſcera ponti.
Hoc duce, quas homini prudens natura negavit,
Quæſivere vias. Ludus fuit æquoris undis
Commiſiſſe animas: auſi conſcendere ſummum
Aëra, & audaci nubes tranare volatu,
Præpetibus pennas circumpoſuere lacertis.
Hac demum fretus mirandâ Dædalus arte
Inſolitum per iter Minoïa vincla fefellit.

Verùm

Verùm ubi ſublatas inflavit gloria mentes,
Ceſſit pulſa Deûm ſenſim formido, pioſque
Eraſere, nefas, tumido de pectore ſenſus.
Solvite, dicebat Magnes, heu ſolvite vanâ
Relligione animos; mundum natura gubernat;
Hæc cælum variis, hæc terras temperat horis.
Non Mars bella ciet, nullum Bellona flagellum
Sæva quatit, nullus Phœbi volat æthere currus,
Juppiter inceſtis nec mittit fulmina lucis.
Iſta ſibi quondam ſimplex commenta vetuſtas
Finxit, & ignaris illuſit mentibus error.
Pellite nunc tandem pavido de corde timores.
Sola parens natura Dea eſt, ſola omnia gignit,
Sola fovet, vaſtis ſola omnia continet ulnis;
Cætera fabellas, ſocii, credamus aniles.
Talia jactantem non auribus audiit æquis
Juppiter: At certè veros, ait, impie Magnes,
Experiere Deos. Simul atrâ mollia caute
Membra ligat: facies homini non priſtina manſit,
Occupat ora ſilex, nec vox aut verba ſequuntur,
Et gravis in medio lapideſcit lingua palato,
Jam nec vena ſalit; nec cor micat: intima torpent
Viſcera, conſtrictos pervadere deſiit artus
Sanguis, & obſtructis exaruit oſſibus humor.
Heu miſer, obſcuris Lydorum conditus antris
Saxum informe lates; te flerunt Aſia Tempe,
Te vagus ambiguis flevit Mæander in undis.
Nec magè diſcipulis ultrix Jovis ira pepercit.

Contudit afflatas veſano crimine mentes ;
Aſperaque eduro mutavit pectora ferro :
Et tactum obriguit lethali frigore corpus.
Non omnis tamen in tenues evanuit auras
Spiritus : antiquum retinent Doctoris amorem ;
Irrequietus agit deformia corpora motus,
Si quà præſenti poſſint hærere magiſtro.
Ipſe novam quamvis mutato corpore formam
Induerit Magnes, haud ceſſit priſtina cura :
Veſtigare Polum pergit, geminoſque Triones
Quærere, & ad rectum mundi componitur axem.

IV.

APARINE.

PUlſa miniſterio Junonia ceſſerat Hebe,
Grataque miſcebat cæleſti pocula menſæ
Nuper Dardaniâ Ganymedes raptus ab Idâ,
Ora puer nondum primâ lanugine ſignans.
Illum Gargareis ſpatiantem collibus, alto
Sacra Jovi correptum ales tulit unguibus uncis ;
Et pavidum cæli ſuperas evexit ad arces.
Mœrens interea Trojana Aparina per arva
Errat, & amiſſum deſerta requirit amantem ;
Idæas Aparina inter pulcherrima Nymphas :
Quam furtim in ſylvis, glauci Simoëntis ad undam,

Ruricolæ Fauno genuit Cebrenia Metis;
Metis Hamadryadum non ultima; perque latentes
Occultam ſaltus matri mandavit alendam.
Illa ſub umbroſis educta adoleverat antris.
Nec tamen egregiæ longo præſtantia formæ
Tempore delituit. Manabat pumice vivo
Fons ſacer, inque lacum tenues collegerat undas.
Suave per æſtatem, dum candet torridus aër,
Languida flumineo ſolari frigore membra.
Sæpe illuc, cæli cùm Sol ſuprema teneret,
Impatiens æſtûs Aparina venire ſolebat,
Et virides inter velamen molle geniſtas
Rejiciens, gelidâ corpus perfundere lymphâ.
Troïus at juvenis riguæ florentibus Idæ
Errabat tum fortè jugis, curſuque premebat,
Et levibus jaculis, celeres ad retia cervos.
Aſſiduo tandem venatu feſſus, & æſtu,
Et fauces angente ſiti, convallibus imis
Prætereuntis aquæ rivos ſectatur in umbrâ.
Haud procul, annoſæ denſis ſub frondibus ulmi
Abditus, ambiguâ vidit ſub luce nitentes
Promentem gelidis Aparinam fontibus artus:
Vidit & obſtupuit, ſecumque hæc corde volutans,
Nam quid, ait, video? num ſacro tincta liquore
Nocturnos Diana parat conſcendere currus?
Quis nitor in vultu? quis in omni corpore candor?
Fiam ego Tireſias, fiam Cadmeïa proles,
Dummodò cæleſtem liceat prope viſere formam.

Troïus hæc ſecum. Nympham mox optat adire;
Et timet, incertoſque animos huc verſat & illuc.
Nec priùs accedit, quàm ſe circumſpicit ipſe,
Conciliatque novos oculis attentus honores.
At ſimul incertâ venientem agnovit in umbrâ
Nympha virum, tutos meditatur mente receptus;
Tendit in adverſam facili conamine ripam,
Exilit, utque fuit ſine veſtibus, intima ſylvæ
Nuda petit, nigroque pavens ſeſe occulit antro.
Tum juvenis viſæ ſuccenſus imagine formæ,
Quò fugis? exclamat, quonam te proripis? iſtos
Pone metus: non me Satyri genuere procaces,
Qui teneris vim ferre parem, vitiumque puellis.
Ille ego per ſylvas errans, cudone ferino
Tempora protectus, cujus veſtigia pero
Crudus nuda tegit, Troïs ſum regia proles,
Supplicibuſque tamen poſco tua numina votis.
Huc ades, inque ſinus, ô formoſiſſima, noſtros
Labere, Trojani regis nurus. Hæc ait, & mox
Colligit abjectas in fontis margine veſtes,
Collectaſque antri perfert nigrantis ad oram.
Exere cæleſtes, inquit, nunc exere vultus,
Induere, atque tuo jam conſule, virgo, pudori.
Nullæ hîc inſidiæ, vanæ ſunt neſcia fraudis
Pectora; ſi magnum noſces Ganymedis amorem,
Sanctum etiam fidumque ſcies: tantùm annue votis
Supplicibus, vinclo mecum ſociata jugali;
Neu pudeat placidæ conſortia ducere vitæ,

Sic fatus, lucum ſubiit, latuitque ſub umbrâ,
Fronde levi tectus; dum miſſo Aparina timore;
Mollibus & dictis tegmen lenita reſumit
Depoſitum, pictoque nitens procedit amictu.
Jam non conſpectus, jam non exoſa viriles
Afflatus, ſed quâ Ganymedes parte receſſit,
Huc oculos, huc illa pedes, huc ora ferebat;
Et pulcrum victâ jam mente petebat amantem.
Nec ſe Dardanides dumoſis uſque latebris
Continet, ut facili viſa eſt placabilis ore.
Fit propior, verbiſque ultro compellat amicis;
Arcanumque loquens dictis inſpirat amorem.
Illa verecundo dejecit lumina vultu,
Occupat ora rubor, dein paucis talia fatur:
Non ſunt vincta mihi duro præcordia ferro;
Sentio quid ſit amor: felix, quam fœdere certo
Tecum junget Hymen, quàm tu dignabere tædâ.
Nunc ergo paribus votis ſit Juppiter auctor;
Accipe, daque fidem. Dixit, dextramque petivit
Trojani juvenis; dextræque is virginis hæſit.
Exin deliciis, exoptatoque fruuntur
Conjugio, ſimiles urunt dum pectora flammæ;
Irruptoque tenet ſocialis copula nexu.
Felix illa viro, formoſa is conjuge felix.
Sed quid in humanis felix fas dicere rebus?
Quas lacrymas, quos, Nympha, tibi fortuna dolores
Sæva parat! dulci flebis viduata marito,

Invidus & Superûm rector tua gaudia tollet;
Altera fulgebat poſt tædas Luna jugales :
Illa fatigatum florenti in gramine corpus
Dum ponit, dulceſque admittunt lumina ſomnos;
Ecce repentè volans ſummâ Jovis armiger æthrâ,
Molliter amplexus juvenem tenet, & pede curvo
Sublimem rapiens infert gaudentibus aſtris.
Interea mentem atque oculos Aparina ſopore
Preſſa gravi jacet in ſylvis, ignara malorum
Quæ ſibi cæleſti conflavit Juppiter arce.
Nam poſtquam vacuo diſcuſſit pectore ſomnum;
Sponſum oculis, ſponſum curſu, ſponſum anxia fruſtra
Mente petit; non ulla quies, nec cùm æquore Titan
Mergitur, aut cælum curru, terraſque reviſit.
Antra per, & ſcopulos, atque avia luſtra ferarum
Fertur inops animi, cælum clamoribus implet,
Magnâ voce vocans Ganymedem inſana maritum.
Vocales referunt Ganymedis nomina ſylvæ.
Jamque pererratis nemoroſæ anfractibus Idæ,
Protinus arva petit, campiſque vagatur apertis;
Si quis oves paſcit, ſi quis grave verſat aratrum,
Si quis iter longè viſus celerare viator,
Hunc adit, hunc prenſat, properantem hunc voce moratur,
Multa ſuper Ganymede rogans. Quam vana laboras,
Perdita, quæ fruſtra ſperes deprendere magni

Furta Jovis, gratoque Deos fraudare miniſtro?
Ergo exhauſta animis, longoque exercita curſu,
Procubuit, nec vox ægram, nec verba ſequuntur:
Mortem optat: mortem Superi tribuere volenti,
Humanique oris ſpeciem, patriamque figuram
Eripuere. Teres corpus, diductaque circùm
In tenues abeunt exanguia brachia ramos;
Stant affixa ſolo veſtigia; vertice crinis
Defluxit, circumpoſitæ manſere corollæ,
Oſtentantque ſuas contexta monilia baccas.
Nec priſci tamen abſcedunt Ganymedis amores:
Obſidet illa vias, & prætereuntibus uncas
Injicit uſque manus, prenſatis veſtibus hæret,
Invitos retinens; aliquis ſi fortè repertum
Externis veniens Ganymedem nuntiet oris.

V.

PICUS.

QUid juvat aſſiduo truncos pertundere roſtro,
Depoſitoſque cavâ ſcrutari cortice nummos,
Pice, comes magni quondam ditiſſime Martis,
Auratas volucris nunc ſparſa coloribus alas?
En tua dum dulci complexus membra quiete
Somnus habet, longa obſcuræ per tempora noctis,
Subripuit gazas prædatrix Pica latentes,

Grata tibi nata illa tuo de nomine dicta.
Dux ſceleris Niſus, primis qui doctus ab annis
Dejicere emiſsâ ſublimem glande palumbem,
Inſidiiſve feras captare, & figere ferro.
Ille quidem dorſo nemoris dum tectus opaci
Venatu invigilat, tacitus per devia furtim
Suſpenſo graditur Picus pede, quem gravis auro
Olla premit pendens humeris. Mox ilicis altæ
Summa petit trunco arrepens, libroque reſecto
Infodit laceræ theſauros arboris antro.
Quæ procul umbroſâ Niſus ſpeculatus ab ulmo
Ad Picam conſpecta refert, non futilis index,
Sed juvenes inter Nymphæ gratiſſimus omnes.
Nam priùs huic longo Niſus conſueverat uſu;
Ex quo Mercurius non ſponte reliquit amatam,
Multa dolens, Maneſque adiit; ſic dura ferebant
Juſſa Jovis, longaſque moras ſub Tartara traxit.
Nec minùs illa graves fundebat pectore queſtus,
Dum ſimul exactos mœrens reminiſcitur annos;
Raptaque præteritæ recolit commercia vitæ.
Floridulo ſedenim cùm vix pubeſceret ævo,
Auſaque tum primùm tectis exire paternis,
Sola per irriguas iret virguncula valles,
Roſcida Mercurius per ſepes fraga legentem
Viderat, & blandos ſub pectore traxerat æſtus;
Virginis ora notans, & lætæ frontis honores.
Nec tamen hæc formam quæſitâ accenderat arte;
Nulla fuit rudibus legem dare cura capillis.

Pectora erant pictâ tantùm circumdata pallâ;
Texuit arguto quam ſedula pectine mater.
Protinus incautam Cyllenius arte puellam
Fallere, & in poſitos prædam compellere caſſes
Subdolus aggreditur; levibus talaria plantis
Detrahit, ornatumque Dei: mox induit ora
Virginis, & Picæ comitem ſeſe impiger addit;
Multa malus fingens, mulcet ſermonibus aures,
Cauſaſque ex aliis alias ſerit uſque loquendi,
Donec in occultos ſylvæ venere receſſus.
Hîc tum Mercurius ſe, nec ſine crimine, prodit;
Vimque adhibet, miſcetque preces. Multùm illa repugnat,
Mortaleſque vocat vano clamore, Deoſque.
Aſt urgente Deo num vis juvet ulla puellam?
Hîc voto victor potitur, longoſque cientem
Incaſſum gemitus, raptique pudoris honores
Deflentem verbis ultro ſolatur amicis.
Pica, oculis, inquit, lux optatiſſima noſtris;
Cara animo conjux, ô cælo carior ipſo,
Hîc mecum in ſolis libeat tibi vivere ſylvis.
Num te Mercurii uxorem, magnique Tonantis
Pœnitet eſſe nurum? nunc virginitatis ademptæ
Præmia magna feres, facundæ munera linguæ;
Dicendique artes, & mentes flectere dictis,
Et quidquid placuit jucundo tollere furto.
His placati animi; ſenſim his manſueſcere corda
Incipiunt; petit ipſa Deum, jamque omnis in uno

Mercurio victæ obſequiis ſtat cura puellæ;
Pectoraque arſerunt paribus concordia flammis.
Mercurii fraudes, & natæ crimina Picum
Perſenſiſſe ferunt; ſed crebris vicit avarum
Pica patrem donis, culpamque auctore redemit.
At Jovis imperiis Manes Tegeæus ad imos,
Rurſus & ad Superûm ſtellantia limina longam
Cogitur ire viam. Proh quantus amantibus inſtat
Inde dolor! nigris pernox flet Pica ſub antris.
Ora madent lacrymis, rumpuntur pectora queſtu.
Cùm fugiens raptim nemorum per devia velox
Cerva ſub obſcurum Picæ ſe proripit antrum
Fixa latus jaculo, ſequitur quam præpete curſu
Niſus agens telis, inflicti vulneris auctor.
Illa velut ſupplex mutâ prece viſa ſalutem eſt
Poſcere reſpectans: nec ſpernit Pica precantem.
Progreditur latebris, currentique obvia Niſo,
Siſte gradum, Juvenis, dixit: quid fervidus iſtuc
Irrumpis, ſedes auſus turbare quietas?
Is viſu obſtupuit; ceciderunt ſpicula dextrâ.
Heus, ait, heus aliud noſtro ſtat pectore telum.
Ipſe feras captans capior, prædaſque petentem,
O Dea, prædata es: captum ne ſperne, tuumque
Eſſe velis. Niſum non averſata rogantem,
Neſcio quâ ſenſit tangi dulcedine pectus.
Triſte ſupercilium poſuit, vultuſque ſerenos
Induit, & facilem dictis accommodat aurem.
Inde adeò ſæpe in ſylvis loca ſola ſecuti

Conveniunt, longaſque trahunt ſermonibus horas.
Tunc longè huic Deus ille fuit, quem nuper inani
Fallacis ductum ſpecie deluſit amoris.
Jamque novis priſci ceſſerunt ignibus ignes.
Tum quoque corticibus, Niſo monſtrante, cavatis
Occuluiſſe patrem congeſtum noverat aurum.
Ilicet injecta eſt animis veſana cupido
Tollendi patrias putri de caudice gazas,
Conſiliumque fugæ capiunt: præit ipſe timenti,
Nectentemque moras urget, dux criminis idem
Depoſitique index Niſus, ſuaſorque rapinæ.
Clam portantur opes pelago, prædâque potiti
Externas patriâ gentes petiere relictâ.
Qui ſimul ad Pici pervenit nuntius aures,
Niſi auſus, probrumque domûs, natamque pudoris
Oblitam furtim laribus fugiſſe paternis;
Exiliit trepidans, aurique cubile reviſit.
Aſt ſedes vacuas, & raptum comperit aurum;
Tunc natæ patuere doli, & ſcelus omne retectum eſt.
Ergo fremens animis Picus, verba impia jactat
In Superos, totique facit convitia cælo.
Præcipuè infandas Tegeæi devovet artes,
Auctorem ſcelerum appellans, fraudiſque magiſtrum.

Cælesti interea præpes Tegeæus ab arce,
Ad Picam tum fortè redux properabat amatam.
Mox etiam properaſſe pudet, Picæ irrita poſtquam

Pacta audit, turpemque fugam; Niſique Hymenæos,
Et violata ſenis Pici ſua numina linguâ.
Ilicet ardentes concepit fervidus iras,
Et meritis ſontes meditatur plectere pœnis:
Humanum his corpus ſedenim detraxit & ora;
Treſque novas juſſit volucres accedere ſylvis.
Purpureæ Niſi naſcuntur corpore plumæ;
Quodque incendebat radiatas murice veſtes;
In pennis rutilat diverſicoloribus aurum.
At non ceſſit amor nummi, trunciſque repoſtas
Quærere pergit opes, & robora figere roſtro.
Ipſa quoque induitur plumoſo tegmine Pica,
Et varios alæ circùm traxere colores.
Lingua loquax ſupereſt, & garrula copia fandi;
Subdola mens, fallendi artes, & priſtina furta.
At tu, Niſe, leves veheris ſublimis in auras
Præpetibus pennis; tu nubibus ales ab altis,
Ut ſolitum, ſectaris aves, & ab æthere lapſum
Invaſiſſe juvat prædas, & vivere rapto.

VI.

LAMPYRIS.

QUæ nova per cæcas ſplendeſcit flammula noctes
Sepibus in noſtris? an ab æthere lapſa ſereno
Aſtra cadunt? tacitis an captant frigora ſylvis,
Si quando ardentis ceperunt tædia cæli?
Non ita, ſed duris heu fruſtra exercita matris
Imperiis, ſentes luſtrat Lampyris opacos,
Si fortè amiſſum poſſit reperire monile.
Namque per Eurotæ ripas, ſaltuſque Lycæi
Dum Diana leves agitat de more choreas,
Aut erumpentes fruticetis excipit apros,
Nympha puellares inter lectiſſima cœtus,
Lampyris, Divam propiùs ſectatur euntem;
Arcum humeris habilem geſtans, pictamque pharetram.
Subtilis flavos cohibebat mitra capillos;
Aurea virgineum velabat faſcia pectus;
Adſtrinxere leves argentea tegmina ſuras.
Feſta aderat tum fortè dies, quâ vertice Cynthi
Latonæ quondam ex utero, natalibus horis,
In lucem exierant Diana & pulcher Apollo.
Lætior hinc ſolito celebres Dea protinus omnem

Et ſimul ad crotalum digiti crepuere loquaces.
Hinc Pan ſutilibus protectus tempora ſertis
Ingreditur, prenſamque manu Lampyrida pernix
Ductitat in numerum: pedibus nec ſegnior illa
Fertur in adverſum, ſinuoſoſque implicat orbes,
Et modò cedentem conversâ fronte laceſſit;
Nunc trepidæ ſimilis vertit veſtigia retro,
Atque fugam ſimulat; fugienti hic fervidus inſtat;
Inſtantem fallunt feſtivæ virginis artes.
Gratia ſaltanti nec abeſt. Dat Delia plauſus,
Dant circumſtantes ſatyri, vulgique coronæ.
At non hæc animis Dryadum chorus aſpicit æquis;
Arcanus gliſcit ſenſim ſub pectora livor,
Sollicitaſque angit prælatæ gloria formæ.
Interea levibus Lampyris feſſa choreis
Seceſſum petit, æſtivum quo frangere ſolem
Laſſoſque in mollem queat artus ſolvere ſomnum.
Sed licet obſcuro ſylvarum tecta receſſu,
Haud Dryadum fugit inſidias: videre ſub umbrâ
Laxantem placidâ languentia membra quiete.
Clam ſubeunt, furtumque parant, auſuque nefando
Pectora gemmato ſpoliant candentia torque.
Utque hæc admoto deterſit pollice ſomnum,
Et ſe materno viduatam munere ſenſit,
Profilit impatiens, & amaro concita luctu
Dat gemitum, mœſtiſque implet plangoribus auras.
Quid faceret? quos vana Deos in vota vocaret?
Triſtis adit matrem, dejecto pallida vultu,
Indecores

Indecores referens habitus, inhonoraque colla.
Divite quam cinctu mater, cultuque decoro
Nudatam aſpiciens, cæco ſuccenſa furore,
Túne oculis audes, inquit, te ſiſtere noſtris
Muneribus vacuam Cythereæ,& torque carentem;
Torque, manet quo certa domûs fiducia noſtræ?
Illa dabat contrà lacrymas, & multa parabat
Dicere: ſed nullo mater ſæviſſima fletu
Tangitur, aut voces tractabilis accipit ullas.
Ocyus ito, inquit vultu imperioſa minaci;
Torquem, divini pignus fatale favoris,
Aut refer, aut noſtris nuſquam te obtutibus offer.
Paruit illa tremens, utque atræ tempora noctis
Inſtabant, timidâ fulgentem lampada dextrâ
Prætulit in ſylvas; tenebras fax ſplendida vicit.
Per longas noctes, ſpatia & per longa dierum,
Hirſutos inter dumos, virgultaque denſa,
Paſſibus it lentis, & devia teſqua peragrans,
Veſtigat raptum nequicquam attenta monile.
Livida Hamadryadum ſpeculatur ab ilice turba
Errantem procul, & curas deridet inanes,
Nequitiæque ſuæ fructum furtique reportat.
Sed vanum tandem Nymphæ miſerata laborem,
Inſontem triſti ſtatuit ſubducere pœnæ
Cynthia: fœmineos vultus, priſcamque figuram
Detrahit, atque novâ donat Lampyrida formâ.
Cogit in anguſtum contractos virginis artus,
Atque affigit humo; tardatur greſſus eunti;

Muta ſilet, loca ſolà petit, ſylvaſque pererrat:
Haud tamen exili memores de pectore ſenſus,
Sævà nec iratæ ceſſerunt juſſa parentis;
Per nemorum latebras totâ dum quærere pergit
Nocte, laboratum digitis cæleſtibus aurum,
Nigrantes clarâ colluſtrans lampade ſaltus.

VII.

GALERITA.

DEcute ſurgentes ventoſo vertice criſtas;
Et vanos cohibe, virgo temeraria, faſtus;
Pauperis in tugurî latebras, & ruſtica tecta
Regredere, & patrios ne dedignare penates.
Ni facias, vindex aderit ſæviſſima Pallas,
Illa tuæ Pallas columen, tutelaque gentis.
Quæ poſtquam prægnante Jovis galeata cerebro
Prodlit, atque lacu Tritonidis adſtitit undæ,
Et prima in Libycis poſuit veſtigia terris,
Inde leves arvis circumfert undique greſſus,
Et nova inaſſuetis ſpectacula præbet ocellis.
Nunc ſylvas, nunc prata juvat decurrere, & altis
Verticibus tractus longè luſtrare jacentes.
Verùm ubi jam ſerus campis decedere Veſper
Admonet, & dulces ſuadet nox languida ſomnos,
Dumque ſibi hoſpitium latis Dea proſpicit agris;

Stramineo vidit ſalientem culmine fumum,
Frondentes inter, procera cacumina, laurus,
Atque ſatas florente lacûs in margine myrtos.
Illuc nata Jovis fertur, foribuſque recluſis
Submiſſo ingreditur depreſſum vertice limen.
Divam agnovit anus, quam circum ruſtica pubes
Natarum paleis porrecta ſedebat in hornis,
Arguto teretem verſantes pollice fuſum.
Agnovit, manibuſque colus & penſa remittens
Exilit, & Divam veneratur ſupplice cultu.
En ego, ait Pallas, de ſummo en advena cælo
Per noctem veſtris ſuccedo ſedibus hoſpes,
Hîc tectum requiemque petens. Paupercula contra
Sic anus: O noſtris quantùm hæc nox proſpera rebus!
Quæ dedit auguſtos reginæ cernere vultus.
Eia agite, ô teneræ, cariſſima turba, puellæ;
Certate officiis; ſolium ponatur acernum
Ædibus in mediis; ſternatur mollibus ulvis
Lectus, & in pedibus ſtatuatur menſa colurnis:
Huc oleæ pingues, plenis huc mala caniſtris:
Huc & caſeoli, quos vimine fiſcina preſſit;
Plenaque jucundâ relinatur ſeria vappâ;
Et ſcyphus ante dapes in mensâ faginus extet.
Paſſim parva novos inſpergat filia flores.
At tu præcipuè, natarum maxima, Divæ
Aſſiduis adſta ſtudiis, ac nitere porro,

Quas annis ſuperas, curis ſuperare ſorores.
Sic ait; exemplo matris præcepta faceſſit
Turba puellarum. Sedes annoſa locatur
In medio: juxta recubans ſtudioſa juventus
Feſſa Deæ mulcet tepidâ veſtigia lymphâ.
Ipſa gradu tremulo menſam ſuccinɑ ſalignam
Ponit anus: denſis profert mantilia villis.
Addit & agreſtes ilignis lancibus eſcas,
Nuper & incultâ decerptos arbore fructus.
Mox & fronde ſuper viridi, florumque maniplis,
Sternitur archaïcum craſsâ lodice cubile.
Verùm inter ſocias natu quæ prima, Minervæ
Colligit exutas noctis per tempora veſtes;
Ægida nondum atros geſtantem umbone colubros,
Splendentemque auro galeam, criſtiſque decoram,
Et præpilatam fulgenti cuſpide myrtum.
Dumque jacet placido Pallas devincta ſopore,
Hæc pravis inhians animis, per ſingula verſat
Liventes oculos, nec non ſe veſtibus optat
Talibus incingi: placuere in caſſide criſtæ:
Se modò, ſi liceat, cæleſtibus induat armis,
Peronem roſeo cupiat mutare cothurno,
Sutaque plantarum contortâ cannabe vincla.
Hirſuto geſtare rudes ſubtemine telas
Eſt pudor, & tritis humeros amicire lacernis.
Me miſeram, dixit, cur his in ſordibus ævum
Fœda ſitu carpo, & ſqualentibus obſita pannis?

Cur his me Superi voluere parentibus ortam ?
Obſcuramne diu producam ingloria vitam ?
Haud ſimus tamen indecores radiantibus armis ;
Non caput hoc caſſis, dextram hanc non dedecet haſta,
Noſtra nec auratus malè pectora proteget umbo.
Hæc animo ſecum virgo maleſana volutat,
Divæ ſortem æquans animis, & turgida faſtu.
Interea redit orta dies, ſomnoque ſolutam
Pallada, frondoſos lux alma reviſere colles
Invitat, riguaſque lacûs decurrere ripas.
Illa recompoſitas formoſo in corpore veſtes
Aptat, & anguſtis digreſſa mapalibus exit
Protinus in campos, & prata virentia muſco.
Dumque vagis paſſim per apertum curſibus errat,
Hinc atque inde choros niveæ duxere puellæ,
Vibrantes nunc molle latus, nunc candida ſurſum
Brachia jactantes, & cantus ore dedere.
At reliquas inter primæva puella ſorores
Talibus auguſtam demens coluiſſe Minervam
Negligit officiis, animum ſed inanibus uſque
Fallere amat votis, & pectus paſcere vento.
Ergo haſtam præferre manu, clypeumque nitentem
Palladis, & ſacro mavult ſplendeſcere cultu.
Ventum erat ad vitream ſinuoſi fluminis undam:
Diva rudes inter tenerum latus explicat herbas,

Et variarum oculos oblectat imagine rerum.
Hinc tremulâ capti ducuntur arundine piſces ;
Et textæ lento tenduntur vimine naſſæ.
Illinc pellito niveus pede remigat anſer ;
Raucaque clamoſo pluviam dum provocat ore ;
Lavit anas caput , & rores cervice recepit.
Cernere & ipſa ſuos vultus Jove nata quietis
Gaudet aquis , & viſa ſuo eſt lætata decore.
Jamque dies medio cæli fervebat in axe ,
Et face Phœbeâ candebat fervidus aër.
Impatiens æſtûs corpus Dea flumine geſtit
Merſare , & grato ſolari frigore membra.
Candentes confeſtim artus nudare puellis
Cura fuit. Pictis ſpoliarunt crura cothurnis :
Arma ex umbriferâ ſuſpendunt aurea quercu ,
Atque ſuper lentas tunicam expandere geniſtas.
Pallada frigidulâ venientem amplectitur undâ ,
Sudore & madidam recreat Tritonius amnis.
Invergunt latices auratis Naïades urnis.
Dumque ibi rorantes fluvio Dea perluit artus ;
Ecce puella procax , cæcâque cupidine ducta ,
Depoſitos Divæ ſibi circumcingit amictus ,
Et patulâ quercu pendentia detrahit arma ,
Caſſidaque undantem pennis accommodat alto
Mentis inops capiti , & ſacra tegit Ægide pectus.
Talibus ornata exuviis , hoc culta paratu
Progreditur , ſeſeque illam vult impia credi

Quam ſimulat. Pernix deſerto rure colonus
Advolat, attonitæ concurrunt undique matres.
Illa venit, ſeſeque ultro mirantibus infert.
At Dea de mediis fulgorem conſpicit undis
Nutantis galeæ, clypeique inſigne coruſci.
Ilicet ingenti correptâ efferbuit irâ,
Ut ſacras vili ſediſſe in corpore veſtes
Novit, & æthereis fabricata incudibus arma
Contactu indignans vidit polluta profano.
Cúmque puella levi ſublimia mente petiſſet,
Divinoſque ſibi Superûm tribuiſſet honores,
Fecit avem Pallas, ſummum ſuperare volatu
Aëra, & aſtriferas poſſet quæ ſcandere ſedes.
Utque palam extaret ſceleris certiſſimus index;
Vertice pennatum juſſit geſtare galerum,
Atque Galeritam gens poſtera nomine dixit.

VIII.

SALAMANDRA.

Ad Eminentiſſimum Cardinalem

Cæsarem Estræum.

SI priſcos animis Erato tibi ſuſcitat æſtus ;
Quales, cùm patriis meditanti carmina ripis
Suſpenſos tenuit quondam levis Axona fluctus ;
Huc ades, ô animæ, Cæsar, pars maxima noſtræ ;
Cui tua me longo vitæ uſu cognita virtus
Irrupto primis nexu devinxit ab annis ;
Te vocat in riguas mecum Trinacria valles ;
Atque ſuis te poſcit opem Salamandra querelis.
Romano quamvis incedas ſplendidus oſtro,
Splendidior meritis, noſtros tamen aure benignâ,
Pegaſidum ſi quis ſupereſt honor, excipe cantus.
Non erit hæc certè tibi laus poſtrema, tuiſque
Laudibus accreſcet, Pindi de vertice lectâ
Si tua Phœbeâ cingatur purpura lauro.
Nata Jovis quondam Siculis Proſerpina campis
Cùm meteret vernos arguto pollice flores,
Lilia, flagranteſque roſas, ſuaveſque hyacinthos;
Nectebat faciles ſolers Salamandra corollas,

Sertaque flaventes Divæ vinctura capillos.
Adſtabant ſociæ, lectiſſima turba, Napææ,
Fingere docta comam, & cultu decus addere formæ.
Cùm ſubitò inſolitis quaſſatur motibus Henna,
Sub pedibus mugit tellus, labefacta dehiſcunt
Clauſtra Erycis, procul horrendis incanduit Ætna
Ignibus, atque imo patuit Cocytus Averno.
Continuò Stygiis in lucem emiſſus ab antris
Proſilit obſcurâ ſquallens ferrugine currus,
Quem regit infernæ Saturnius arbiter aulæ.
Territa ferali trepidat Proſerpina viſu,
Ditem horret, celerique Hennæ petiiſſe laborat
Mænia tuta fugâ: currentem hic ocyor anteit,
Nigraque veloci prævertitur orbita lapſu.
Nec mora Lethæus pavitanti brachia raptor
Injicit, & validis in currum ſuſtulit ulnis
Multa reluctantem, & ſuperos in vota vocantem;
Optatamque infert prædam pallentibus umbris.
At parte ex aliâ deſerta per avia paſſim
Diffugiunt Nymphæ comites, & quà ſua quamque
Fors tulit, his Ditem properat vitare latebris.
Has Salamandra inter, caſu externata nefando,
Prata levi curſu rorantia deſerit Hennæ,
Ætnæiſque metu pallens ſe condidit antris.
Hîc niger alterno jactabat brachia niſu,
Fervida ſuppoſitis tundens incudibus æra
Mulciber, & lentis properabat fulmina maſſis.

Quem ſimul aſpexit virgo fugitiva per umbram;
Agnovitque Deum: Per ego, inquit, ſidera ſupplex
Te rogo, ſi qua movet pietas cæleſtia corda,
Tartareas fraudes, diroſque ulciſcere raptus.
En Jove nata perit, feralibus acta quadrigis,
Ni properas, miſſique tuâ Cyclopes ab Ætnâ
Vim vi contineant, prædamque ex hoſte receptent.
Hæc jactat lacrymans. Vulcanus talia contra
Ore refert: Non hæc temerè, ô ſuaviſſima virgo,
Eveniunt; his aſtra favent, his Juppiter auctor,
Et fratri natam facilis concedit amanti.
Indomito poſuiſſe modum quis poſſit amori?
Ipſe quoque has inter cautes, & inhoſpita ſaxa
Inter ſtricturas chalybum, ferrique metalla,
Ipſe ego quid ſit amor non ficto pectore ſenſi:
Ignibus incenſum Siculis domat acrior ignis.
Namque, fatebor enim, ſimul his te proſpera terris
Fata tulere, atque hos licuit cognoſcere vultus,
Hos oculos, queis noſtra Venus conceſſerit ultro;
In me ſæva ferus depromit tela Cupido.
O utinam hic paribus tangat tua corda ſagittis,
Atque tuum pateat penetrabile pectus amori!
Sic ait, & Nymphæ manibus Deus apprimit ora;
Addit delicias, animumque moventia verba,
Incautam poſſit ſi prolectare puellam.
Nunc roſeos laudat digitos, nunc lactea colla;
Undanteſque humeris flavo de vertice crines.
Nec ſuus in mentem venit fuligine vultus

Decolor, aſſiduoque rubentia lumina fumo,
Actaque inæquali veſtigia turpia greſſu,
Atque obſeſſa ſitu déformi livida membra.
Ilicet ingenuo ſuffuſa rubore puella
Æſtuat, & limis dicentem averſa tuetur
Luminibus: tacito ſed tandem victa timore
Reſpectare fugam, tutoſque parare receptus
Aggreditur, ſi quà forſan datur exitus illi.
Sed clauſam cæco retinet Vulcanus in antro,
Nec potis eſt vaſtis ſe protipuiſſe cavernis.
Cui ſimul ac Deus inviſum ſe ſenſit, amoris
Accenſus furiis, has profert pectore voces:
Méne igitur, vano formæ confiſa decori,
Méne tuo dignum contemptu rere, puella?
Ille ego, vera Jovis ſoboles, quem regia Juno
Legitimo partu cæleſtibus edidit oris.
Per me terrifici, ſi neſcis, nubibus ignes
Exiliunt, per me altus habet ſua Juppiter arma.
Atque hic ipſe meæ te Juppiter appulit Ætnæ,
Ut mea præda fores. Ceſſit Proſerpina Diti,
Tu mihi: nunc Ætnæ dotalia regna capeſce:
Conjugio nati haud aberit Dea pronuba Juno.
Talia dicta dabat, jam tum pertæſus inanes
Perdere blanditias, neglectaque fundere verba.
Vim parat impatiens: aſt hæc animoſa repugnat,
Non vano gemitu aut lacrymis, ſed vindice dextrâ
Suggillans oculos, & fœdans unguibus ora;
Ulta pudicitiam; quâ raptâ tum quoque vitam

Eſſe ſibi raptam velit, extinguique ſepulcro.
Ergo dolens ignominiam, læſique pudoris
Dedecus, & turpi temeratum crimine corpus,
Multa gemit, totique facit convicia cælo.
Concava flebilibus reſonant plangoribus antra.
Ille quidem crudum dictis ſedare furorem,
Et mœſtis adhibere velit ſolatia curis.
Irrita verba cadunt, Nymphæ dolor obſtruit aures,
Præcipitant ægram raptus pudor, iraque mentem,
Et parat inviſam confeſtim abrumpere vitam.
Ætnæo patulæ panduntur vertice fauces,
Sulfureæ ſurſum ſinuoſa volumina flammæ,
Torridaque ignitas jactantes ſaxa ſub auras,
Crateras priſco dixerunt nomine Graii.
Nympha furens animis, lucemque exoſa, citato
Summa petit curſu montis juga, pronaque ſaltu
Præcipiti rapidos ſeſe dejecit in ignes.
Mulciber obſcuro caſum ſpeculatus ab antro,
Triſtiaque inſontis miſeratus fata puellæ,
Non tulit ante diem crudeli occumbere leto.
Maluit in teretem producere membra lacertam,
Atque coloratis aſpergere tergora guttis.
Quin ignes ſuperare dedit, prunaſque rubentes
Proterere, atque acres calcare impune favillas,
Et ſolita ex ipſis alimenta capeſcere flammis.
Sic ſua Vulcanus Salamandram in jura recepit,

IX.

MIMUS,

SIVE

SPECULUM.

Ad Mariam Eliſabetham

Roccachoartiam Caſtriſiam.

FLecte oculos, flecte huc facilem, Castrisia, mentem,
Et mirare leves rerum per inane figuras,
In quibus ipſa tuos poſſis agnoſcere vultus,
Fulgenteſque oculos, & amœnæ frontis honores.
Mox tamen antiqui repetes dictata Platonis,
Rurſus & umbroſis Academi condita ſylvis
Actæas inter ſpectaberis heroïnas.
Te ſibi Athenaïs, regali ſede relictâ,
Adjungat comitem, & morum velit eſſe magiſtram.
At nunc læta animis graviores exue curas,
Floreat inque tuis Phœbea hæc laurea ſertis.
Pallenes inter ſcopulos, prope littoris oram,
Gramineoſque toros, primis adoleverat annis,
Spes generis Mimus, quem partu enixa beato
Edidit Emathiis Pſamathe formoſa ſub antris.

Hunc pater eductum Proteus in vallibus Oſſæ
Erudiit, vitæque dedit præcepta, ſuiſque
Moribus inſtructum, faciem & mutabile corpus
In varias rerum docuit convertere formas.
Nam modò frondentes ſurſum jubet arboris altæ
Ramos induere, & radices figere terræ,
Et modò in æquoreum ripis dureſcere ſaxum.
Nunc in ſpumantem reſolutus defluit undam,
Aut abit in rapidæ ſinuoſa volumina flammæ.
Præterea quæcunque oculis ſeſe obvia ferrent,
Horum conſimiles in ſe transferre figuras
Inſtituit, varioſque ſitus, motuſque, coloreſque;
Et quæ ſigna dedit rebus natura notandis.
Si quis erat terram proſcindere viſus arator,
Ibat aratori ſimilis: ſi rure capellas
Paſtor agens medio fuerat conſpectus in arvo;
Viſus & ille ſuas campis agitare capellas.
Advena prodierat peragens iter ecce viator,
Ille viatorem contra ſimulabat euntem.
Roſcida mala legens, juvenili corpore virgo
Seque, ſuoſque oculos mirata aſpexit in illo.
Denique ſemper is eſt alter, vixque eſt ſuus unquam;
Quoſque gerit vultus, alieno ducit ab ore.
Interea Thetin Ægæi ſuper æquoris undas
Vexit ad Æaciden frenatus Pelea Delphin.
Quam Phorci chorus, & Nymphæ comitantur ovantes:

Tritonis reſonat ridenti buccina ponto:
Peliacis hilares Dî convenere ſub umbris;
Qui cælum terraſque tenent, quique humida regna.
Fornice ſub medio, parte acclinatus equinâ,
Hoſpitibus tantis præbet rorantia Chiron
Pocula. Bacchus adeſt, cyatiſque capacibus urget
Divos multa rogans, nec Dî ſprevere rogantem.
Aſt huc Caſtaliis redimitæ tempora ramis
Decurrere ſacro Pindi de vertice Muſæ.
Plectra movet Clio, digitiſque micantibus errat
Argutæ per fila lyræ; nec tibia ceſſat
Euterpes: præit ad numeros intonſus Apollo;
Indicitque modos: imo de flumine Peneus
Attollit glaucis canentia frondibus ora.
Laurigero felix Hymenæus perſtrepit Oſsâ;
Et Thetin Oetæi celebrant Nereida ſaltus.
Quo cantu excitæ muſcoſis ſedibus ultro
Exiluere Deæ; Divûmque hæſere lacertis;
Et latus in faciles egerunt molle choreas.
Parte aliâ bipedum curru ſubvectus equorum
Advenit vitreo pelagi de gurgite Proteus,
Dum vacat, atque ſuæ phocarum examina curæ
Credita Carpathiis ſomnus tenet altus arenis.
Adfuit & Protei ſoboles cariſſima Mimus,
Cui primùm tunc eſt conceſſum viſere ſanctos
Cœlicolûm cœtus: facies notat ille Deorum,
Auguſtoſque habitus; flagrantia ſuſpicit ora
Cæſariemque Jovis, Junoniſque aurea ſceptra;

Intonſos Phœbi crines, humeriſque ſonantem
Miratur pharetram, miratur tela Dianæ,
Palladis & torvâ ſplendeſcens Ægide pectus;
Nexaque Mercurii levibus talaria plantis.
Protinus hic ſolitas animo converſus ad artes;
Exprimere inceſſus Divûm, nutuſque Dearum
Audet, & objectas imitando effingere formas;
Grataque cæleſti præbet ſpectacula turbæ.
Nunc juvat aut Martis vultus ſimulare minaces,
Incertoſque pedes madefacti nectare Bacchi,
Quaſſatamve manu furiatæ Palladis haſtam.
Ecce autem Siculâ ſeſe referebat ab Ætnâ
Mulciber, obſcurâ faciem fuligine tinctus.
Horrebat caput impexum ſquallente favillâ,
Imparibuſque pedes per littora motibus ibant.
Hunc ubi Peliaco vidit de vertice Mimus,
Nec mora fallaci mentitur corpore Divum,
Atra cutis circum nodoſos veſtiit artus,
Contractam illuvies fœdavit ſordida frontem;
Traxerunt alternantes veſtigia greſſus.
Haud circumfuſæ riſum tenuere coronæ;
Riſerunt Superi, riſit Nereïa turba,
Theſſalicis riſit campis effuſa juventus.
Ilicet ultrici Vulcanus concitus irâ,
Reſpiciens torvo tremefactum lumine Mimum;
Túne ait, ô turpes inter, puer, edite phocas,
Vile retrimentum pelagi, algâ vilior ipsâ,
Túne jocis audes Superos violare protervis?

Ergo ego legitimo proles Junonia partu
Natus, & igniferâ doctus flammantia dextrâ
Cudere tela Jovi, per te ludibria Divis
Præbeam, & in toto fiam nova fabula cælo?
Haud impune quidem: verſuto corpore ſuetus
Sumere tot rerum ſpecies, nunc exue formam
Protinus ipſe tuam; nunc humani decus oris
Abjiciens, ſpeculi faciem mendacis habeto.
I modò, & effigies viſas ſimulator adumbra.
Dixerat, & mox verba Dei res ipſa ſecuta eſt;
Fit ſpeculum Mimus, vivacis ſpiritus auræ
Evolat, extincto ceſſerunt pectore ſenſus.
Nec minùs interea priſcas reminiſcitur artes,
Opportuna manet cunctis natura figuris:
Mirantes ſpectantûm oculos deludere falſis
Gaudet imaginibus, ſimulacraque vana referre.

X.

MELISSA.

Ad Franciscum Seraphinum Regnerum Maresium.

NAſcitur ecce mihi decimus labor, & gravis ille
Altiſono campani æris de culmine clangor
Dat ſignum, dulceſque vetat producere ſomnos.
Tu jucunda meæ vitæ comes, hanc quoque partem
Aſpice, Muſa, tuique aſpirans aura favoris
Det mihi florilegæ caſus memorare Meliſſæ;
Cui nivei mores, & labis neſcia virtus,
Curaque cæleſtis cogendi in mella liquoris,
Nobile per gentes peperere in ſecula nomen.
Ergo Mænalios mihi nunc, Dea, ſuffice cantus;
Queis meus attentas Seraphinus commodet aures,
Excitus noſtro ſi carmine reddere carmen
Fortè velit, tenueſque modos ſuperare canendo;
Unde negata meis accedens fama libellis
Inter honoratos tribuat diſcumbere Vates;
Et mea manſuris ſignetur gloria faſtis.

Naſcentes Cybele fœtus, & ab ubere raptos,
Non ſemel immiti depaſtos viderat ore
Saturni, & ſævis contritos dentibus artus:
Viderat, & vanis implerat queſtibus auras.
Jamque novi inſtabant felicia tempora partûs;
Et prope erat fatis promiſſus Juppiter orbi,
Cùm ſic alloquitur fidam Dea magna Meliſſam:
O mihi præ cunctis virgo acceptiſſima Nymphis,
Si te rerum unquam tetigit cura ulla mearum,
Si tibi dulce mihi quicquam fuit, en age, quantum
Conſiliis atque arte vales, nùnc confer in uſus.
Scis tolerata mihi longos faſtidia menſes,
Dum pondus clam geſto uteri: prævertere certum eſt
Triſtes Saturni inſidias, lapidemque vorandum
Objicere, atque tuæ fidei committere verum
Conjugii noſtro cretum de ſanguine pignus.
Dictæo ſub monte memor raptim occule tanti
Spem generis, cultuque fovens hoc nectare paſce;
Quod tua ſollicitâ parat arte induſtria ſolers,
Exceptum ſuccis florum & rorantibus aſtris.
At mala ne forſan vis ingruat, abdita tecum
Tela gere, & ſubitas ulciſcere cuſpide fraudes.
Quòd ſi vel numero venientûm, aut robore pulſa
Ceſſeris, arguto litui clangore propinquam
Curetum gentem, noſtrum queis numen amicum;
Accerſe, aſſiduiſque premens clamoribus inſta.
Non manibus deſit lituus, non martia cuſpis.

Sic fatur Cybele: nec longum tempus, & atris
Umbriferi montis furtim protecta latebris,
Vitales cæli regem eſt enixa ſub auras.
Nec mora juſſa Deæ ſtudioſa Meliſſa capeſſit;
Naſcentemque Jovem candentibus excipit ulnis.
Atque cavo cornu, teloque accincta latente,
Mollia ſecreto cunabula ſternit in antro.
Tum quoties nitido ſplendeſcit Lucifer ortu;
Illa vigil croceis halantes floribus hortos,
Gemmanteſque thymo ſaltus, & amœna peragrat
Paſcua, nocturno ſtillantes æthere guttas
Decutiens foliis: tum lectas vaſe recondens
Divinâ demum medicatas temperat arte.
Hinc ſuaves primùm mellis fluxere liquores;
Deliciæ rerum, quod ab inventrice Meliſsâ
Nomen habet: tacitis ſylvarum Nympha ſub umbris
Unde Jovi primas naſcenti præbuit eſcas.
Sæpe etiam ſacræ lauta inter fercula menſæ
Hyblæi Cybelen oblectavere ſapores.
Verùm, dum ſtudio florum prolecta vagatur
Prata per, & riguas valles Gortynia virgo,
Conſpicit errantem Crabro, Titania proles,
Titanem referens animo, vitiiſque parentem.
Ferrea frons hominis, durum os, mens neſcia recti;
Atque giganteæ procero in corpore vires.
Ille volutabris recubantem pervigil altis
Excepturus aprum, jaculoque inſtructus acuto;

Exeſâ aërii montis ſub rupe latebat,
Ilicibus tectus circùm, & nigrantibus ulmis;
Cui coram obſcurâ venit obvia valle Meliſſa.
Huic ſimul impuro conſpecta eſt lumine virgo,
Ilicet inſani ſtimulis correptus amoris,
Incautam aggreditur, ſpoliis cùm veris onuſta
Virgato flores exportaret calathiſco,
Clariſono celebrans Cybeles præconia cantu.
Hæc hominis tetram faciem averſata repugnat:
Et fugeret, ſi non væſano percitus œſtro
Apprenſam valido retineret robore Titan.
Quid lacrymæ, quid vota juvant? cùm barbarus hoſtis
Urgeat inſurgens, & vis infeſta pudori.
Clamanti quis præſtet opem? loca ſola, nec ullis
Exculta hoſpitiis. Ergo quod reſtat in arctis
Auxilium rebus, videt à virtute petendum.
Continuò tectum quod veſte haſtile gerebat,
Arripit impatiens, animosâque impia dextrâ
Pectora Crabronis repetito transfodit ictu.
Concidit exanimis mediâ reſupinus arenâ.
Quæ ſimul in Cretæ longinquos nuncia fines
Fama tulit, celsâ Titan pater advolat Idâ;
Et nati gemino mactatum vulnere corpus
Aſpiciens, nigroque fluentia pectora tabo,
Dat gemitus, totique facit convicia cælo,
Parte aliâ nigris fraterno in funere ſylvis
Præcipites veniunt terræ omniparentis alumni.

Infrendent acti furiis, cædiſque Meliſſam
Auctorem raptis cupiant diſcerpere membris,
Corpus & in medios divulſum ſpargere campos.
At pater infeſto diverſa in pectore Titan
Verſat conſilia, atque audacis facta puellæ
Pandere germano, rerum tum ſceptra tenenti,
Saturno ſtatuit, ſceleriſque repoſcere pœnas.
Ergo adit ad regem, ſequitur Titania pubes.
Frigora populeâ captans Saturnus in umbrâ,
Conjugis irriguis tum fortè ſedebat in hortis.
Juxta aderat regina comes, quam ponè Meliſſa
Ad voces dominæ ſtabat nutuſque parata.
Terrigenæ ardentes animis, temerariaque auſi,
Atria ſacra Deæ Cybeles atque intima ſepta
Irrumpunt: præit ipſe ferox ad crimina Titan.
Túne, ait, erepto ſceptri regalis honore,
Noſtram etiam tentas, Saturne, exſcindere prolem?
Dumque tuæ ſævis hæc unguentaria juſſis
Conjugis obſequitur, noſtros impunè penates,
Et claram effuſo viduabit ſanguine gentem?
Non ita: vel meritas virgo luet improba pœnas,
Titanum aut juſtos mox experiere furores.
Talibus arſerunt reginæ pectora dictis,
Reſponſumque homini non molle referre parabat.
Quam placido rex Saturnus prævertitur ore,
Atque rebellantes, ſcelerataque bella moventes
Ad pacem revocat dictis, & temperat iras.
Me quoque, ait, frater cariſſime, me quoque tangit

Cura hæc, ne dubites, generiſque injuria noſtri.
Non alius vobis quæratur ſanguinis ultor.
En adſum ſceleris vindex, pœnæque miniſter.
O virgo infelix! quid nomen inane pudoris
Profuit, & turpi defenſa à crimine virtus?
Quid pietas? magnæ quid profuit inſula Matris?
Quid latices puro legiſſe ex æthere lapſos?
At tibi quæ Superi, quæ fata inimica negarunt,
Æquior hæc noſtro tibi carmine Muſa rependet,
Nec longinqua dies tantum decus eximet ævo.
Arbiter ille orbis Saturnus, probra, minaſque
Titanum metuens, in caſtam dura Meliſſam
Judicia exercet; priſcâ ſpoliata figurâ
Inſontis juſſit decreſcere membra puellæ,
Atque leves humeris flaventibus addidit alas.
Fit volucris, virides ſaltus, & roſcida circùm
Paſcua pervolitans. Sed enim Saturnia conjux
Eſſe ſuam voluit, ſibi quæ cæleſtia roris
Dona legens, dulces nectar conflaret in uſus.
Huic & perpetuum Dea virginitatis honorem
Ferre dat; ac lituum plagas ſtridore minantem
Geſtare, & promptum tutando haſtile pudori.

IDYLLIA.

I.

ALEXANDRO MORO
S. P. D.
PETRUS DANIEL HUETIUS.

CUm eſſem ante annum in Hollandia, tum primùm notitia, nec multò pòſt magna familiaritas inter nos fuit. Etſi autem nullo ſequeſtro adhibito, ſed caſu quodam ſuſcepta hæc amicitia eſt, ejuſmodi tamen animorum conjunctio ſtatim eſt conſecuta, ut non recens nata illa, ſed à multis retro annis conflata & confirmata credi poſſet. Neque enim ego de te ullam bene merendi occaſionem prætermittere; neque tu ullis omnino officiis, quibus amicitia foveri & ali poteſt, deeſſe videbare. Meminero equidem quoad vivam, quàm amicâ me & ſollicitâ ope iſtic cum adversâ valetudine conflictantem ſis proſecutus: quàm ſalſis & Atticis jocis, omni lepore conditis, valentiorem quidem me, ſed faſtidio, quod ex morbo contraxeram, adhuc laborantem, tanquam bellariis exceperis: quàm cultis & eruditis carminibus, me jam priſtinæ ſanitati reſtitutum, languidulum tamen, ad excutiendum veternum hunc, ad reponendum etiam provocaris. Feciſſem id

quidem,

quidem, nec ingratiis, niſi per temporis anguſtias (id quod tute ſcis) & occupationes ſtetiſſet, quibus tum miſerè diſtrahebar. Adduxiſti tamen eò me, ut quod inter negotia ne aggredi quidem poteram, illud ego in otio, quod nunc primùm nactus ſum, facturum me aliquando reciperem. Ab illo itaque tempore oppigneratam tibi fidem meam nunc tandem libero. Hoc unum præ me fero, eos quos ad te mitto verſus, Latinos eſſe; & vel ipsâ argumenti novitate futuros tibi non ingratos; atque adeò ad Lucretiani carminis normam fuiſſe exactos. Quòd ſi me mea opinio, temerè forſan præcepta, ut ſua quemque ſæpe numero, fallit, ſcito viros magnos Johannem Auratum, & Famianum Stradam, aggreſſos idem aliquando, turpiter ſe dediſſe. Vale. Cadomi, ipſis Calendis Januariis, M. DC. LIV.

EPIPHORA.

INcluta Mnemoſynæ ſoboles, ô noſtra voluptas
Calliope, præſtans animorum conciliatrix,
Quæ ſenſim fera corda lacis, quæ voce canorâ
Blanditim mulces hominum mortalia ſecla:
Tu me naſcentem dias in luminis oras
Æterno complexa favore es, proque ſecuta;
Per te jucundam potui traducere vitam
Hactenus, haud Phœbi donis cantuque carentem:
Tu noſtro curas pepuliſti è corde ſequaceis,
Et potuiſti animi dubios componere fluctus.
En etiam noſtris divinos incutis igneis,
O Dea, pectoribus; per ſumma pericula ductum

Quo poſtquam caput immiti ſubduximus orco;
Nunc alacres tandem & morbi languore ſoluti,
Carmine promamus longi tormenta doloris:
Carmine, quo magni quondam Lucretius orbis
Naturam, & cæli deſcripſit maximitatem.
Ergo his flexanimum dictis inſperge leporem;
Permulcere mei quò cantu ſuaviloquenti,
Muſæo & poſſim doctum contingere melle
Pectus Alexandri, quem tempus, Diva, per omne
Omnibus inſtructum cumulaſti prodiga donis.
At tu, More, cave, ne quæ diſpoſta fideli
Mœnera noſtra tibi ſtudio ſunt, ſpreta relinquas;
Diverſuſve abeas, ſint interlecta priuſquam;
Ne te Calliope quoque dedignata relinquat.

Alter menſis hic eſt, ex quo ſum nactus acutum;
Atque novum, notumque mihi non antè dolorem.
At quo de genere hic morbus ſuat, illud ego iſtis
Carminibus conor deſcribere; protinus omni
A ſimilis morbi cauſsâ ut caveat ſibi, quiſquis
Verſibus advertet noſtris animum, adque plicabit.

Verſabar dum fortè inter juveneſque, puellaſque,
Ingentique animum devinctus volnere amoris,
Quærebam quânam arte meam mihi conciliarem
Phyllida, detexi caput, ut volgo fit, & iſto
Ornatu, mentis cœpi intima ſenſa profari.
Illa quidem noſtris, haud quaquam ſaxea, dictis
Aurem præbebat facilem, mentemque benignam;
Reſponſiſque etiam me dignabatur amicis.

At mea dum blandâ delinit corda loquelâ ;
Haud animadverti ſtillare ex æthere tetrum
Humorem, qualis creperâ ſub luce profundi
Sæpe ſolet, ſera oſtendit cùm lumina Veſper.
Continuò humenti contactus frigore vertex,
Infeſtique algûs læſum ſtringore cerebrum
Collectæ magnam fundit vim pituitaï.
Quod genus in putri cùm caudice prendimus olim
Tardigradam cochleam, domiportam, ſanguine caſſam ;
Illam ſi quis acûs ferro transfigat acuto,
Anguſtas intra ſeſe mox contrahit ædeis ;
Interea deforme exit de volnere virus,
Percuſſoris acum maculans, dextramque cruentans.
Sic poſtquam admorſum eſt noctis cere frigoribus brum,
Haud mora contrahitur ; tum verò noxius humor
Expreſſus, capitis per caulas diffluit omneis.
Pars etenim in fundum volvit ſe pectoris imum,
Stringitur unde acri humectum raucedine guttur,
Unde & languentes artus quatit improba tuſſis.
Pars ſtomachum diverſa petit, rivoſque fluentes
Excipit ingluvies, atque hîc demum coaceſcunt,
Et gignunt non parvum corrumpendo dolorem.
Hujus at humoris pars effluit altera apertis
Naribus, in mucum & turpem reſoluta coryzam ;
Atque niſi immundas nares ſudaria tergant,

Scilicet aſſiduo decurrat flumine mucus.
Quin etiam pituitaï ſe colligit hujus
Particula, & refugit ſuetos averſa meatus;
Inſolitamque viam tentat, gaudetque remotas
Indugredi capitis partes: tum incluſa cavernis
Verticis, immitti nullâ ratione poteſtur,
Sed potiùs latebris intus comprenſa tenet ſe.
His animadverſis, nunc rem deſcribere pergam;
Illo quo nuper mihi contigit ordine. Totum
Poſtquam traduxi languens ex rheumate menſem;
Tetraque replerunt pituitæ flumina pectus;
Ter denoſque dies de naribu', deque cerebro
Humor profluxit; nec longum tempus, & ingens
Dimidii capitis dolor ingruit, haud ſecus atque
Si foret in cerebrum mihi fortè impacta ſecuris
Vi magnâ; ratus hunc ſum ſcilicet eſſe dolorem,
Quem miſſi gignunt alvi de fæce vapores.
Aſt erat à verá longè hoc ratione repulſum,
Et me animus fallebat; enim nonnulla vacivos
Pars erat illius humoris nacta receſſus,
Membranas inter cerebri, & dextrum inter ocellum.
Naviter at clauſus cùm omnis foret exitus eji,
Ipſum ſeſe oculum intra aggreſſa erat inſinuare.
Tum proporro, eſſent quaſi magnâ percita plagâ,
Lumina turgebant circùm ſuffuſa rubore
Sanguineo, lacrymiſque perennibus ora rigabant:
Alterius ſed enim morbus communis utrique eſt.

Adde quòd incerto tentari membra rigore
Experiebar, & alternis me pallida febris
Frigore torrebat languentem, aut igne coquebat.
Hinc factum ut deformaret liventia luror,
Et triſtis circùm macies obduceret ora.
Ergo convenio medicum: Quæ pocula ſumam?
An pilula, an noſtram mittetur bolus in alvum,
Quæ magnum poſſit capitis ſedare dolorem,
O Aſclepiade, lacrymaſque abſtergat ocellis?
Hæc ego. Tum Medicus contra ſic farier infit;
O Juvenis, primâ noviſſe ab origine morbi
Illius cauſſam, non intermiſſa Galeni
Lectio,& Hippocratis multos verſata per annos
Pagina Phœbigenæ, experientiaque ipſa, dedêre.
Hæc ille, & morbi cauſſas memorabat eaſdem,
Carminibus quas nos paulò deſcripſimus antè.
Ergo has aggreditur certâ expugnare medelâ.
Nam plantagineis albumina diluit undis
Ovorum: hinc porro cataplaſmata frigida fiunt,
Quæ poſſint oculis humorem avertere tetrum.
Femina præterea, quæ partum enixa recenter
Eſſet maſculeum, quæque eſſet nigra capillis,
Deligitur, noſtrumque petit delecta cubile;
Diſtento huic candens ex ubere lacteus humor
Funditur, hoc inſertim turgida lumina mulcet;
Protinus ut tali tactu recreata valeſcant.
Quin etiam fluvios inter, pigraſque paludeis,
Quæritur informis, ſitienſque cruoris hirudo,

Anguineum genus ; hæc poſtquam deprenſa tenetur,
Temporibus noſtris adponitur, ádque plicatur
Ægros circùm oculos; tum dente admordet acuto
Pelliculam, impurumque avido ſanguen bibit ore;
Sanguinis inque locum protelo impellitur humor
Noxius, inde avidi mox anguis viſcera complet.
Quod ſupereſt, humeris ventoſa cucurbita noſtris
Impoſita eſt, ardens fax intro eſt condita poſtquam
Cerea : deſubito protractæ grandia carnis
Augmina turſerunt ; caro porro hæc ſanguine mixtum
Continuò humorem tetrum de vertice traxit.
Diditur hic alias poſtilla in corpori' parteis :
Hunc ubi dis natura ſupat deinde, & facit are.
Arte vacefactum eſt ægrum poſtquam caput illâ ;
Scilicet ardoris violenti pauſa ſecuta eſt,
Priſca valetudo rediit, triſtiſque gravedo
Abſceſſit capiti, languentibus ægror ocellis.
Denique convalui auxilio medicaminis hujus ;
Quod quondam, ut perhibent, ſolers tum repperit uſus,
Cùm primùm varias agitando extunderet arteis.
Hoc pacto matrem naturam ars filia vicit.
At vos, queis inter ſuetum eſt ſæpe eſſe puellas,
Hoc, Juvenes, ſapite exemplo, & me diſcite talem
Intempeſtivi obſequii ſolviſſe luelam.

II.

Ad Carolum Sanctamaureum,

Ducem Montauſerium, Sereniſſimi Delphini inſtitutioni præfectum.

ANcipitis Jani reduces venere Calendæ;
Per medias fervent munera miſſa vias.
Nos tibi, MONTOSIDE, *noſtris decus addite rebus;*
Offerimus purum, munera parva, Salem.
Tu facili cape dona manu; tenuis quoque magnos
Mica ſalis fertur pacificaſſe Deos.
Sic tibi ſe docilem præſtet regalis alumnus,
Attentaque tuos combibat aure ſales.

SAL.

AB ſale principium rebus, ſalis omnia plena;
Æquoraque, & tellus ingens, atque humidus aër.
Nam queis occultas naturæ accedere partes
Eſt labor, & cæcis diſſolvere corpora flammis;
Inque ſuum partes rurſum componere corpus,
Terna ſubeſſe ferunt miſtis primordia rebus,
Mercurii liquidos latices, & ſulfura viva,
Fœcundoſque ſales. Oculis variata colores
Sulfura ſubjiciunt, flammiſque alimenta miniſtrant;

Mobilis in craſſam diſtendit ſingula molem
Corpora Mercurius: firmâ compage revinxit
Vis ſalis, incerto fluerent ne turbida lapſu.
Divite ſal etiam diſperſit provida dextrâ,
Cùm varios primùm rebus natura ſapores
Adderet, & noſtris condiret fercula menſis.
Sal adeò eſt quodcunque ſapit, quodcunque palatum
Afficit, expreſſum ſeu pingue ab arundine ſacchar,
Collectumve jugis nectar florentis Hymetti
Affluat ad molles blandâ dulcedine ſenſus,
Abſinthi ſive ora gravis contriſtet amaror.
At genus haud unum ſalis eſt: ſal foſſile terrâ
Eruitur; puteis liquidum ſal manat ab altis;
In ſal ſpumantes concreſcunt æquoris undæ,
Aut cùm ſuppoſitis ferveſcunt ignibus, aut cùm
Littoreæ rapido ſiccantur ſole lacunæ.
Sal Ammoniacas inter ſuccreſſit arenas.
Sal injecta facit carbonibus unda colurnis.
Sal quoque in immenſas procero vertice moles
Tollitur; exciſis ſalsâ de rupe columnis
Condit Arabs ſolidas Euphratis ad oſtia turres.
Præterea geminum ſal deprendêre Magiſtri
Rebus inhæreſcens; nativâ hoc mole deorſum
Vergit, at in tenues illud flamma evehit auras.
Denique conferto rubrum ſale conſtat alumen,
Chalcanthumque virens ſutoribus utile, necnon
Effoſſum

Effoſſum Parii nitrum tellure Canopi;
Et quæ plura meo non eſt comprendere verſu.
Vis ſalibus genitalis ineſt, vivoſque calores
Segnibus in venerem dant ſalſamenta maritis.
Hinc ad res Veneris pronos dixêre ſalaces.
Ipſa Venus quippe orta ſalo eſt, emerſaque ſalſis
Fluctibus, auratâ vehitur ſuper æquora conchâ.
Ergo ſalis quondam geniales reſpuit eſus
Turba Parætoniæ ſacris operata Juvencæ.
Sal fortunatas largo beat ubere terras,
Arvaque reſpondent avidis ſale fœta colonis.
Quod ſimul exceſſit gremio telluris amicæ,
Fluctibus elutum crebris,atque ignibus hauſtum,
Langueſcunt glebæ ſteriles, viduataque tellus
Triſti pigra jacet ſenio, & ſal mœret ademptum.
Aſt inopem ſummâ miſeratus Juppiter arce
Optatum effœto ſenſim ſal corpore miſcet.
Tum recreata novo turget prægnans ſale tellus.
Hinc vegetum plantis robur venit, inde feraces
Concipiunt ſuccos, & pinguia pabula ſylvæ,
Et tandem lætis onerat ſe fructibus arbos,
Atque inſperatas meſſes miratur arator.
Ipſe fovens molles clauſis præſepibus agnos,
Matribus upilio ſparſas ſale præbuit herbas;
Præbuit, atque novâ vidit pinguedine lætos
In ſpem lanigeræ fœtus adoleſcere gentis,
Plenaque ſpumanti retulit mulctralia lacte.
Salſa miniſtratur fugientibus eſca columbis:

Hinc redit actus amor patriæ, campiſque relictis
Spreta coloratæ revolant ad tecta volucres.
Quòd niſi quæſitas lauta ad convivia carnes
Rerum ſerva memor ſalſugine maceret acri,
Æſtus, & humentis flatus vitiaverit Auſtri.
Sal quippe integrum ſervat poſt ultima corpus
Funera, reſtringens in tabem deflua membra.
Eſſe datam immundis animam quoque pro ſale porcis
Scitè Chryſippus docuit. Sale fictile vitrum
Cogitur: accenſis Venetûm fornacibus ardens
Cryſtallus ſale concreſcit; liquefactaque ſaxa,
Et fuſos cineres dono ſalis excoquit ignis.
Fœda novo labes ſi fortè inolevit amictu,
Vi ſalis eluitur; ſordes velamina ponunt,
Et ſale in antiquum fulgent reparata nitorem.
Non aliâ pollet vi parvæ terra Cimoli,
Quæque Brigantino petitur de vertice creta,
Priſcave Tymphaïcum celebrat quod Græcia gypſum,
Et ſapo, & fœdas purgant quæ ſmegmata veſtes.
Quid duram glaciem, preſſique coagula lactis
Commemorem, ſalibus tantùm conſtricta refuſis?
Quid veſco ſale perfoſſas in littore cautes?
Pulſa fames, & amor ſalibus revocatur edendi,
Obtuſoque abeunt faſtidia longa palato.
Sal Superis gratum, Superûm ſale frangitur ira,
Et parco ſale luſtralis contingitur unda.

Ipſe puer ſacros ſubiturus vertice fontes
Rite pio ſal ſincerum priùs excipit ore.
Olim etiam feſtas Divûm ſtans victima ad aras,
Et tinctura ſacros effuſo ſanguine cultros,
Candenti ſalſas fruges cervice recepit:
Et ſegeti metuens micæ ſalientis honorem,
Farraque frugiferæ Cereri dedit horna colonus.
Signatur ſalibus princeps ſapientia puris.
Explorat dubios longus ſalis eſus amicos:
Toto etiam voluit quondam tentare medimno
Lælius, optaſſet ſi quem ſibi cautus amicum.
Inde fit ut lætis effundens lucida menſis
Concha ſales poſitos, triſtes prænuntiet iras,
Occultoſque dolos, cæcaſque tumeſcere lites.
Temporibus ſale conſtabant ſtipendia priſcis:
Hinc & perpetuum meruêre ſalaria nomen.
Priſcæ Romulidûm plebi, ſanctoque Senatu
Munera grata ſalis donavit Marcius Ancus;
Primus & inſtituit populo gaudente ſalinas.
Cara annona ſalis: magnâ mercede coëmptum
Sal fiſcum gazâ regalem ditat opimâ.
Provenit haud terris ſedenim præſtantius ullis,
Quàm quod Santonici collectum ad littoris oram
Uſque peregrinæ referunt trans æquora puppes.
Denique non noſtros commendat gratia mores,
Ni fuerint tincti ſalibus; frigemus inepti,
Nullus honos, nulla ingrato ſermone venuſtas,
Averſæ fugiunt Charites, Venus ipſa faceſſit,

Et formoſa ſuum præcludit Nympha cubile.
Adde ſales verbis, ô non indocte Poëta,
Si quis manſuro ſperas de carmine famam.
Sed noſtra hoc tandem conſiſtat limite Muſa;
Ne fortè inſulſum pariat faſtidia carmen.

III.

Ad Johannem Capelanum.

Dulcia nobilibus dum dividis otia curis,
Claraque magnanimæ committis facta Puellæ,
Poſtera manſuris quondam per ſæcula chartis,
Et numeris divinum æquas, Capelane, *Maronem:*
Hîc ego deductum meditor tibi dicere carmen,
Et longam ſermone viam narrare pedeſtri;
Hinc porro majora parans, & verſibus olim
Inde aliis, aliiſque, tuos dicturus honores.
Contractam facilis nunc ergo exporrige frontem,
Si magnis animum fas eſt avertere rebus;
Hiberniſque procul ſubjecta Trionibus arva
Decurre, & mecum caſus evolve marinos,
Queis me olim primo pubeſcens flore juventus
Jactatum implicuit, propiùs ſpectare volentem
Didita Christinæ *variis miracula terris:*
Christinæ, *quæ tum ſceptro ſpectabilis aureo*
Ibat, & attentis dicebat jura Suecis;
At nunc ſceptra ſuper, fragileſque evecta coronas,
Ardua magnorum ſuperat faſtigia Regum.

ITER SUECICUM.

EGreſſum Cadomo primùm me Diva recepit.
Honflorium tendo hinc: ægrum lectica ferebat;
Lecticam manni: quorum hic pravo pede fultus
Dum titubat, mediis effuſum exponit arenis.
Tum pranſi lembo ferimur, ſerique ſubimus
Urbem Franciſci Regis de nomine dictam.
Hìc expectantes dum pontus & aura faverent,
Otia conſumunt miſeros, nec tædia poſſunt,
Aut arx, aut validi ſpectando fallere muri.
Undecimâ tandem panduntur carbaſa luce:
Ridentur comites, quos nauſea crebra fatigat;
Non ego; jejuni nam vix depellere ventris
Salsâ carne famem poſſum, vel pane recocto.
Vicina interea nobis dum ripa propinquat
Caletum, geminas Anglorum è littore puppes
Proſpicimus plenis ad nos contendere velis.
Obſtupuit navis rector de gente Batavâ;
Arma huc, arma, Viri, inclamat, tormenta parentur,
Vela legant nautæ, belli det buccina ſignum.
O quàm me tantis ſtolidum objeciſſe periclis
Pœnituit! ſcabrum accingor rubigine ferrum;
Spem ſimulans, tacitum condens ſub corde dolorem.

Ut propiùs venêre Angli, de puppe magiſter
Compellat noſtros: Unde, & quò? Cuncta petenti
Ordine rettulimus: converſa is vela retorſit.
Navim quarta dies Zelandis appulit oris;
Præbuit optatos venienti Veria portus.
Hinc Middelburgum rapimur, ſed poſtera rurſus
Nos pelago lux commiſit; tua mœnia læti,
Dordrectum, intramus, quibus infeſtos procul hoſtes
Et Moſa & Vahalis revolutis fluctibus arcent.
Æneus ad Roteram mihi pòſt ſpectatur Eraſmus:
Tum Delphi, & Delphis monumenta inſignia gentis
Naſſaviæ. Tectum Leidæ dein præbuit hoſpes.
Grata ſequens multùm nobis aurora virorum
Primos noſſe dedit, Phœbi qui ſacra frequentant,
Heinſiaden, & Salmaſium, duo maxima Pindi
Lumina: tum medicum mihi cernitur Amphitheatrum,
Bibliotheca, Hortus peregrinis conſitus herbis,
Et quæ multa ſolet lentus ſpectare viator.
Viſitur hinc nobis prælorum Harlema repertrix,
Et Peluſiaco ſerratæ in littore claſſis.
Amſtelodamenſi demum ſuccedimus urbi.
Occurrunt læto teſtantes gaudia vultu
Unanimes ſocii, Bochartus, Voſſius, atque
Complures alii, (tacitos quos Muſa relinquit)

Extremos unà cupidi luſtrare Suecos.
Suavé extra patriam veteris complexus amici.
Altera lux ſpectare dedit myſteria gentis
Judææ; ductor, Judæus & ipſe, Manaſſes.
Aſt adducta ſecans dirus præputia culter
Dum tenet attentum, & ſublati inſania ritûs,
Ecce abaci, quo inferre pii cæleſtia Moſis
Scripta ſolent, ſummo extremum limbum pede tango
Inſcius; inſueto cuncti fremuere tumultu:
Diffugio veritus damnoſi vulnera cultri.
Inde Ultrajectum petimus; Schurmannia nobis
Anna ſalutatur, muliebris gloria ſexûs.
Artis opus miror varium, quod mente ſagaci,
Aut manibus doctis virgo ingenioſa paravit.
Hinc diſcedentes excepit paupere tecto,
Et paleam feſſis Elſpettum præbuit hornam,
Ruſticaque iligenas onerarunt fercula lances.
Carpimus inde viam Suvollæ ad mœnia, longos
Hîc ubi Kempenſis ſanctè traduxerat annos;
Nunc etiam extincti vivit quoque fama ſuperſtes.
Mox Hardembergam ſerâ ſub nocte venimus.
Ridetur nobis veteri mos ductus ab ævo.
Quippe ubi deligitur revoluto tempore Conſul,
Barbati circa menſam ſtatuuntur acernam,
Hiſpidaque imponunt attenti menta Quirites:
Porrigitur ſeries barbarum deſuper ingens.
Beſtia, pes, mordax, ſueta inter creſcere ſordes,

Ponitur in medio ; tum cujus, numine Divûm;
Barbam adiit,feſto huic gratantur murmure Patres,
Atque celebratur ſubjecta per oppida Conſul.
Proxima Veſphaliæ pergentibus arva tenentur :
Gens procera, aliis toto capite altior extat ;
Ætnæis olim dicas è fratribus ortam.
Ingens huc peregrè venientes excipit aula,
Ignis ubi in medio ; circùm capræque, boveſque,
Immundique ſues, & non ſine matribus agni ;
Et pater, & ſuſi paſſim cum conjuge nati.
Si vitam hanc mortale genus regnante trahebat
Saturno, ut perhibent, placeant mihi ferrea ſecla.
Hîc ſteriles campi,atque humiles ingrata myricas,
Innumeris tellus fert dulcia pabula porcis ;
Quos neque vel torrere veru, aut ferventibus ollis
Incoquere, at ſummi ſuſpenſos fornice tecti,
Aëre ſiccatos, fumo durare ſuëti
Simplicibus totos gaudent imponere menſis.
Hinc procul attollit turritum Brema cacumen ;
Erigimur ſtudio, claramque adipiſcimur urbem.
Continuò laſſus conſterni mando cubile :
Plumea ſubjecta eſt mihi culcitra, culcitra rurſus
Eſt injecta ſuper ; nec longum tempus, & ingens
Prorumpit toto fuſus de corpore ſudor,
Nec potui dulces tali ſub tegmine ſomnos
Ducere ; nox infeſta mihi prorſus fuit illa.
Orta dies demum eſt dilectæ nigra catellæ :
Præcipiti nam decurſu dum currus arenis

Volvitur in planis, obliſit curva morantem
Hanc rota; ſed calido per noctem infoſſa fimeto,
Et ſaturata oleo, priſcum eſt indepta vigorem.
Hoſpitium nobis dein Septem-clauſtra dederunt;
Virginibus quondam ſanctis florens domus; at nunc
Porticibus vacuis de multis quinque ſuperſunt,
Collapſæque ruunt ædes, ac limina Divûm,
Poſtquam Lutherus nova ſacra his intulit oris.
Proh, quæ Boxthudæ nos dein fortuna manebat!
Hîc matrona potens, pulchrâ comitata puellâ,
Occurrit: miles formosâ in virgine fixus
Uſque premit latus, & paſſim ſectatur euntem.
Hanc dum Bochartus priſcâ cum matre ſalutat;
Feſtiviſque avidas implet ſermonibus aures;
Incenſus miles, venaſque inflatus Iaccho;
Ut ſolitum, inſontem Bochartum ad prælia poſcit,
Et vix compoſito junxerunt fœdere dextras.
Ortâ luce vagum cymbâ prætervehor Albim;
Hamburgique alacris tandem veſtigia figo.
Hîc picturatos in veſtimenta tapetas
Induitur populus: campoſque, urbeſque videres
Inſtratis geſtari humeris: Junonius ales
Talia non variâ pandit ſpectacula caudâ,
Nec tot in imbriferâ pinguntur nube colores.
Hinc languens rectâ Sleſvici ad mœnia tendo;
Archaïcos ægro ſternit Gottorpia lectos.

Bis ſenas luces me detinuere volentem.
Illic antiquâ ſignata volumina dextrâ,
Et longis ſplendens cellis pretioſa ſupellex;
Barbaraque emenſus Perſarum Olearius arva,
Atque frequens mihi Cimbrorum cum principe
ſermo.
Hinc penè egreſſis cari præcordia bilis
Invaſit ſocii; verùm Haderſlevia crebro
Sanatum vomitu vidit ſub lumina prima.
Balthica jamque ſuos oſtendunt æquora fluctus:
Provehimur pelago, & Cimbrorum linquimus
oras.
Haud procul in tumido apparet Fionia ponto;
Pingue ſolum exupero, frigentique imbre ma-
dentem
Excepit mediis fundata Otthonia terris.
At dum clauſa tenet per noctem lumina ſomnus,
Subripuit noſtras gens inſidioſa lacernas:
Digredior triſtis, pluvioque obnoxius Auſtro.
Niburgo potimur nocturni, ubi regia pellex
Clauſa latet tenebris, & cæco carcere, poſtquam
Lurida regali contrivit toxica menſæ;
Dignior infami, tetro pro crimine, morte.
Eſt in conſpectu dives Zelandia contrà
Inſula; nos illuc ventis & remige puppis
Acta vehens, vix ſubduxit venientibus Euris;
Alteraque ad ſcopulos penè eſt illiſa latentes
Ponè ſequens: canas illic Meleagrides alas

Pandunt, inſuetumque canes dant gutture murmur.
Illic corporibus videas permiſta luporum
Robore ferali pendentia corpora furum,
Quàm multa autumno pendent ex arbore mala.
Infixos trabibus ſubter mirabere cultros
Ægrorum manibus, quos olim ſtipite ſi qui
Incauti rapient, languentum corpore morbus
Cedet, ſi qua fides, rapientum in viſcera ſerpet.
Obvia currentes ſiſtit Roſchildia, condens
Marmoreis tumulis Danorum corpora regum.
Protinus excelſis ſpectabilis Haſnia muris
Surgentem oſtentat turrim ſuper æthera, cujus
Aërium poſſit currus ſuperare cacumen,
Acclivi aſcenſu, non ſtructis ordine ſcalis.
Admiſſis ferimur bigis, curruque citato,
Atque in regificâ laſſi conſedimus urbe.
Poſtquam membra quies recreavit, proxima Regem
Viſere cura fuit; ſpatioſâ ſiſtor in aulâ;
Utque parum viſu valeo, ſpecularia promo;
Et Regem vitreis proſpectans orbibus utor.
Haud tulit hanc ſpeciem Princeps, mihi jamque parabat
Vincula bile tumens; fugio, portuſque relinquo;
Fluctibus in mediis anguſta occurrit Huena,
Aſtris ſacra olim, & cæleſtibus inclyta curis;
Nunc piſces tantum ſolers captare marinos.

Huc feror, & viridi ſuperato colle, Tychonis
Dilapſas ædes veneror, pretioſaque fletu
Rudera conſpergo, & rurſum do carbaſa ventis.
In medio exoritur tempeſtas turbida curſu.
Horremus pavidi; vixque uvida membra quieto
Excipiens tandem fovet Helſenuria portu.
Æquoreo me ſubductum fortuna periclo
Penè alio merſit; nam dum munimina ſpectans
Cronemburgi obeo, foſſam propè labor in imam.
Quàm varii impendent peregrinis undique caſus!
Tranquillam in patriâ potuit qui ducere vitam,
Liquerit hic dulces numquam me auctore penates.
Inde ſinum vento fruſtra luctante Codanum
Trajicimus: nobis apponit ſedulus hoſpes
Salgama ſparſa croco: Gothico hæc ſapit eſca palato:
Tum zytho, atque ovis incoctas oggerit offas,
Et vino, atque uvis, ſiccat quas clara Corinthus,
Et cruſtis pilo tunſis, & olentibus herbis:
Incretum his piper acre, & odorum caryophillum,
Et coriandra ſimul, tum zinziber, atque ſinapi,
Sacchar, mella, oleum, marathrum, flavumque butyrum.
Non alias Hecaten atris ſub ſedibus Orci
Crediderim libaſſe dapes; triſtiſque noverca
Non alios miſcet privigni in funera ſuccos.
Ergo venenatas impranſi liquimus eſcas.

Nocturni ire viam perreximus, atque diurni.
Pulvereos ſolvit valida Helmæſtadia currus.
Inde referre pedem, patriaſque reviſere terras
Cogitur, & flentes ultro amplexatus amicos
Voſſius abſcedit; ſic litera miſſa jubebat.
Ingredimur crebrâ nigrantes abiete ſilvas,
Viſigothis notas ſedes; ſitientibus illi
Hydromeli apponunt, & piſtam rite farinam
Exiguo ſale contingunt, parcoque cumino,
Appenſam fumi durant, ac lumina ſolis.
Hanc fruſtra impacto tentaris cædere cultro;
Viribus at durum tuditem ſuper incute totis.
Scanduntur celſæ rupes, Smalandica terra,
Vetterique lacûs ſinuoſum littus obimus.
Dat nobis illic ſervus riſûſque, jocoſque,
Dum ſummo curru ſtans, nocturnoque galero
Tectus, Davidicos attentus concinit hymnos;
Arguti numeris conſtrictos arte Maroti,
Claudini & rauco corrumpit gutture cantus.
Mox datur Oſtrogothûm ſcabros attingere fines,
Aſpera gens victu, pelles induta ferinas:
Membra ſitu livent, & aduſti frigore vultus;
Præcingunt matrum villoſæ tempora mitræ.
Vectores illic ſuccuſſant ſtridula plauſtra.
Dant requiem longis conſtructa mapalia truncis;
Conſtratum viridi floreſcit ceſpite culmen,
Quo paſtum teneræ ſcandunt de more bidentes;
Deſuper admittunt anguſta foramina lucem,

Haud ſecus ac, Romæ tenuit quas Terminus
ædes.
Quinquaginta intus lecti, queis ſternitur hoſpes,
Et pater, & conjux, poſitique in ſtramine vernæ.
Hinc loti egreſſus causâ ſub nocte ſilenti,
Regredior, primumque ratus ſubiiſſe cubile,
Quo ſocius molli laxabat membra quiete,
Altum proflanti vetulæ de pectore ſomnum
Inſcius accubui, laterique jacentis adhæſi.
O quales movit veniens aurora cachinnos!
Dant gratam ingentes pinus abeuntibus umbram.
Tum nos Lincopiæ nox opprimit; Olaus illinc,
Et Magnus Magno eſt ortus cum fratre Johannes.
Norcopiam tendunt currus; hîc ærea lamna
Cuditur, hîc grandem ſignant ex ære monetam,
Longaque deductum tenuant in fila orichalcum.
Illâ merce premens externus navita puppes,
In patrias quæſita refert compendia terras.
Proxima Nicopiæ ſtatio, gratiſſima ſedes
Matris Reginæ, poſtquam eſt orbata marito,
Carpitur atque illic triſti Leonora ſenectâ.
Hinc fit per ſcopulos gradientibus obvia Telga,
Urbs præclara olim, piceis nunc ignibus hauſta.
Rangifer hîc ſtabulis borealis clauſa tenetur
Beſtia; multiplici ſublimia tempora cornu
Vallantur; ſimilis vivaci cætera cervo.
Concretis glacie lacubus, campiſque nivoſis
Illa trahas rapit, & volucres prævertitur Euros.

Pruteno huc quidam veniens de littore, vino
Invitos torſit, crebris urſitque culullis;
Me penè incautum vicit vis ſubdola Bacchi.
Impoſuit longis erroribus Holmia finem.

IV.

IN AGGERES HOLLANDICOS.

Fragmentum majoris operis.

His ſuper edocti, longas molimine magno
Infixere ſudes pelago, tum immania ſaxa,
Et ſimul effertæ prægrandia pondera terræ
Advolvere ſuper, molemque ſub aſtra dedere,
Vicino Nerei cunctos, his artibus uſi,
Præcluſere aditus circùm, mirabile dictu,
Et docuere vagum vinclis aſſueſcere pontum,
Ni faciant, magnaſque urbes, campoſque patentes
Quippe ferox tumidis involvat fluctibus æquor.
Haud aliter quondam Tethyn domuiſſe furentem
Fertur, & iratum pelagus vinxiſſe catenis
Innumero circùm ſtipatus milite Xerxes.

EPISTOLÆ.

I.

Ad Alexandrum Morum.

Extemporalis Reſponſio.

JAm pridem reſides noſtro ſub pectore flammas,
Divina Phœbi munera,
Dilapſamque facem in cineres, Galatea decoris
Quam pupulis ſuccenderat,
Carminibus, ſuavi quæ condit Muſa lepore,
Venuſte More, ſuſcitas,
Qualia non cecinit Naſo, mollisve Catullus,
Noſterve Flaccus carmina.
O, quàm te Phœbo acceptum, facilique Thaliæ,
Quàm te beatum prædicem,
Qui ſic languentem potis es recreare ſodalem,
Qui ſic jocari, cùm libet!
Me verò Origenis carioſa volumina torquent,
Et lenta febris excoquit.
Quòd niſi ſub tiliis tecum garrivero noſtris
Hac luce Lunæ proximâ,
Ilicet & fato concedere luce ſequenti
Amice, concupiverim.

II.

Ad Ægidium Menagium.

Hominum judicia nullius eſſe momenti.

PRolixam tibi, Menagi jucunde, ſalutem
Mittit Huetiades, ægro vix corpore firmus,
Multò mente minùs validus, longâque pereſus
Triſtitiâ, & vigiles volvens ſub pectore curas.
Addictum ſedenim Muſis inviſa fatigant,
Atque animos aliò conferre negotia cogunt;
Sollicitudine diſtrictum, & mœrore ſequaci.
Præterea (me quippe dolor non unicus angit)
Seu juvet ingenuas animum exercere per artes;
Seu genium placare parem, rariſque diebus
Parca verecundo celebrem convivia Baccho;
Noxia ſeu priſcæ recolens contagia vitæ
Certum cautus iter, meliori fœdere, carpo;
Eſſe domi ſeu pertæſum eſt, cupiduſque jacentes
Viſere fert animus longè trans æquora terras;
Quidquid ago, obſcœnis inſons ludibria linguis
Debeo, & infeſto me dente calumnia mordet.
Naturæ quippe auſpicium prout quiſque ſecutus
Optatis fertur ſtudiis, aliena reprendit,
Infenſuſque palam reliquis, ſe amplectitur unum.
Civica nam queis jura placent & opella forenſis,

Militiam ſpernunt: contrà qui Martia tractant
Arma, fori ſtrepitus & longa negotia damnant:
Qui Phœbum, Muſaſque colit (qualem eſſe libenter
Me dederim) ſummâ ſurgens de luce, diſertis
Immoritur libris, ac cætera ridet ineptus:
Urbanum civem & nitidum vir ruſticus odit:
Agreſtem urbanus ſtivam ac rus garrit olere:
Quin etiam meretrice nepos inſanus amicâ,
Tetra hominum vibex, & magnum dedecus, audet
Ipſe probare ſuos, aliorum carpere mores.
Vos mala, Menagi, nequaquam talia tangunt,
Ampla Pariſiacæ colitis qui mœnia gentis.
Illic ſponte ſuâ ſedenim, propriumque ſecutus
Arbitrium ſe quiſque regit, nec commoda livor
Limat tranſverſis oculis, vel dente venenat:
Illic quiſque ſuas attendit ſedulus ad res,
Negligit alterius: tum ſi quem fortè negotî
Aut hominum cepit ſatias, ſeſe ille remotis
Occultare poteſt vicis, nec cognitus ulli
Ducere præteritæ quæſita oblivia vitæ.
Atque utinam tali nos munere fata beaſſent;
Urbis Cæſareæ cives, Cadmique nepotes,
Poſſemus fungi officiis, componere curas
Ad libitum, nec ſcurrilis convicia linguæ,
Aut duri virgam cenſoris ferre ſuperbam!
Hæc mihi præ cunctis fuerit gratiſſima tellus.

Quæ quoniam non fata ſinunt, nec primitùs atris
Mentibus impactas fas eſt diſpellere ſordes,
Has liceat ſaltem miſerâ proferre querelas
Conditione ſuper. Tu noſtrum commodus audi,
Atque dole (ſic Dî tibi dent optata) dolorem.
Prima tribus luſtris mihi nondum adoleverat ætas,
Plagoſi nec jam metuebam ſceptra magiſtri:
Inde mihi Virtus, illinc damnoſa Voluptas
Adſtiterunt, quales in primo limine vitæ
Viderat Alcides, Cei ſtat ſi qua Sophiſtæ
Uſque fides dictis. Ego magna exempla ſecutus,
Sperno voluptatem, auſterâ Virtute petitâ,
Informo rebus generoſum pectus honeſtis,
Intendo mentem ſtudiis, antiqua revolvo
Romanis ſimul, & dictata volumina Grajis,
Continuans lucem tenebris, lucique tenebras:
Immenſos ſtudium fallebat dulce labores.
Optime Menagi, quoſnam mihi carpere fructus
Hinc licuiſſe putas? pulchri quæ gratia facti?
Fabula Cadmæis decantatiſſima ſcurris
Nempe fui; helleboro caput hic purgare meraco
Me jubet; ille faceta dicax ænigmata ſolvi
Poſtulat, & miſerum quæſitis ludit ineptis.
At me parte aliâ ſecretò convenit alter,
Vir bonus, atque meo qui dulces geſſerat olim
Cum patre amicitias; is triſti ſerius ore,
Quid tibi vis, ait, ô juvenum ſtultiſſime? quorſum

Inſanam hanc molem librorum inſanior ipſe
Congeris, & primos incaſſum conteris annos?
An carioſa legens veterum monumenta, putas rem
Creſcere poſſe tibi? num ſic eris utilis urbi?
Utilis & conſanguineis? concinnus amicis?
Mactam dote tibi contingere reris opimâ
Squallenti uxorem, & librorum pulvere fœdo?
Non ita; te chartis attentum invadet egeſtas,
Ludibrium ſcurris fies, & mœror amicis.
Ergo age, dumque licet, ſanam catus indue mentem;
In lucem prodi, paribus colludere geſti;
Nec minùs augendâ feſtines ſtrenuus in re.
Nummatas ſapiens ultro ſectare puellas,
Obſequio, cultuque oris, pexoque capillo;
Et viduas grato locupletes munere capta.
Sic ait, attonitumque novo ſermone reliquit;
Haud aliter nudo quàm qui pede preſſerit anguem.
Nam quid ad hæc rerum vix ullo providus uſu
Senſiſſet puer? imperium fero credulus, & mox
Dulcibus abjungor Muſis; mihi prima voluptas
In medios dormire dies, & odoribus ungi
Cæſariem, & veſtes variatis pingere vittis,
Ceſſatumque inter formoſas ire puellas.
Vix mihi per ſpatium vita hæc eſt acta bimeſtre,
Accurrunt ad me noti, fidique ſodales;
Tu, Mottææ, venis, qui Phœbo deditus olim

Atque cliens Muſis, primus nunc jura ſacerdos
Cadmææ Themidis (ſic Dî voluêre) gubernas:
Tu, PALMERI, aderas, quo non præſtantior alter,
Et Martis tractare enſes, calamoſque Minervæ.
Veniſti, ô gazâ differtum pectus opimâ,
BOCHARTE, ætates mentem verſate per omnes;
Perque omnes populos: veniſti, docte BRIOSI,
Tempora Phœbeâ circum redimite coronâ:
Veniſti, SAVARI, quo verſu ſacra Dianæ
Dicere nulla olim meliorem protulit ætas;
Nulla vel in ſeris olim quoque proferet annis:
Tu reliquos veniſti inter fidiſſimus omnes,
Candide PRÆMONTI, noſtri pars maxima quondam,
Nunc ingens deſiderium, te funere poſtquam
Edomitum crudo rapuit vis improba lethi.
Affuit & mutas agitans VICMANNIUS artes;
Judicio prudens, mente acer, pectore purus:
Affuit ante alios ingens MAMBRUNIUS omnes,
Qui me tunc monitis juvenem formabat amicis,
Calliopes præcepta ſagax, ſanctique labores
Flaviadæ retro venturis prodere ſeclis.
Is me præ reliquis pudibundum inceſſit amaris
Opprobriis, vitæ noxas & crimina ponit
Ante oculos, priſcum rectique inſpirat amorem.
Siccine, dicebat, dudum præclara minatus,
In vitium te ferre paras, virtute relictâ?

Num tibi deſidiæ cordi, nugæque doloſæ?
Ergo potes ceſſator, iners, contemptor honeſti,
Ludere diſcinctos inter, pars magna, nepotes,
Et turpi, oblitus meliora, litare Vacunæ?
At non hæc de te dederas promiſſa, juventam
Nobilibus Phœbi ſtatuens conſumere curis.
Quòd ſi non omnis cecidit de pectore virtus,
Excute mollitiem, & vitæ te redde priori.
Dicenti hæc aderat blandus convictor, amicus
Integer, interpres veteris doctiſſimus ævi,
Æmulus ille Ovidî laudum, magnique Maronis,
Et quo regali Cadomum Doctore ſuperbit,
Hallæus; noſtra hic aliâ de parte reprendens
Flagitia, ultrici meritum perfudit aceto.
Haud tulit incuſſum mens non obtuſa pudorem;
Erubui, & priſcas animo converſus ad artes,
Sedulus amiſſum ſatago ſarcire labore
Tempus, & ignavæ reparo diſpendia vitæ.
Tum verò indoctæ redeunt convicia gentis,
Nec ſævo vulgus me rodere dente malignum
Tempore ab hoc uſquam ceſſat. Pater alme leporum,
Si vacat à priſcis paulùm requieſcere chartis,
Rem non diſſimilem, nec longa eſt fabula, diſce.
Fortè ſenex, nato quondam comitatus, aſellum
Ibat agens; aberat vacuo omnis ſarcina dorſo,
Quando præteriens quidam non notus, Ineptos,
Exclamat, pulcrum quibus eſt ſic parcere onagro!

Audiit, aſſenſitque ſenex; conſcendit in armos
Ipſe prior, lumbis puer inſidet, atque ita pergunt.
Vixque viæ paulùm confectum erat, obvius alter
Occurrens, Pecudi cur ilia rumpitis? inquit,
Ægrè animam trahit, & jamjam ſub pondere feſſa
Decidet. Id metuens, aſinum miſeratus onuſtum,
Ire ſenex natum peditem jubet, ipſe ſuperſtat.
Tertius adveniens, Ne ſic tua commoda captes;
Dure ſenex, aſt ætatis miſerere tenellæ.
Protinus accipiens convicia ſæva benignè,
Paruit, exiliitque bonus, ſudore fluentem
Apprendit puerum, pecudiſque imponit in armos;
Ipſe ſequebatur, coſtaſque dolabat aſelli.
Ad primum lapidem venit alter naris aduncæ;
Hercule non pecudis tibi ſunt cædenda flagello
Tergora, vir bone, ſed pueri, qui vectus aſello
Pergit, & effœtum pedibus ſinit ire parentem.
Talibus at placidi verbis patientia tandem
Læſa ſenis, veras juſſit depromere voces:
Pol miſer eſt hominum quiſquis convicia curat:
Quo pede cœpiſti, hoc ſecurus pergere diſcas,

III.

Ad Antonium Hallæum.

QUid reſides, Hallæe, vocas ad carmina
Muſas?
Quid mihi neglectam longo jam tempore ſuades
Sollicitare chelyn, noſtriſque impervia plantis
Scandere Parnaſſi dubio faſtigia greſſu?
Hoc ego ſi precibus cedens, & multa roganti
Hallæo faciam, nec me dignoſcat Apollo,
Nec probet haud ullo digeſtos ordine verſus.
Non adeò ipſe mei ſum nunc oblitus, ut ægra
Carmina, & excultis auſim inficianda Camenis
Promere, quæ nec te fuerint ſub judice tuta.
Quòd ſi me quondam temerarius impulit error
Ad ſacros latices, bifidique cacumina montis;
Si denſas propter lauros Permeſſide lymphâ
Ebrius, Aonios ivi ſine lege per agros;
Auſus & æternâ frontem vincire coronâ:
Sat fuerit nimiumque, ſemel peccaſſe; ſed ultra
Non excuſabit nova crimina priſtinus error.
Ergo quod vitæ ſupereſt, ignobilis otî
Florebit ſtudiis: me non orcheſtra canentem
Excipiet, neque compoſitos ſudante cerebro
Narrantem verſus ridebit vulgus ineptum.

ELEGIÆ.

ELEGIÆ.

I.

DE POETIS CADOMENSIBUS,

Quorum exemplis ad Poëſim invitatus eſt.

RUxelii fontes, Cadmæique antra Malherbæ,
In veſtris liceat procubuiſſe toris.
Barbara non Scythico genuit me Nympha ſub axe,
Torrida non Cancri ſidere terra tulit.
Naſcentem placidis fovit pater Olena lymphis:
Muſcoſum puero ſæpe cubile dedit;
Quà minor Ancræis lapſus de montibus Udo
Nobilibus ſupplex adſociatur aquis:
Olena poſthabito quem Xantho inviſit Apollo;
Et leni auratas abluit amne comas.
Fertur & hic gelidis citharam pulſaſſe ſub antris;
Atque leves Muſis præcinuiſſe modos.
Sæpe illic inter corylos tardiſſima noctem
Dormiit heſternis feſſa Thalia choris.
Florida per riguas vidi veſtigia valles:
Afflabat ſanctis ſuavior aura locis.
Hæc mihi monſtrabat teneris Hallæus ab annis;
Tentabam ſacras hoc præeunte vias.

I

Fas tibi Pegaſidum, dixit, cognoſcere greſſus.
Iſto calle pedes Dî poſuere ſuos,
Et Cadmo geniti vates melioribus annis,
Rupibus his faciles turba ſecuta Deos.
Paſtor Hyanteæ ſic quondam vallibus Aſcræ
Præſentes meruit cernere Pieridas.
Iſthinc argutis animi venere Marotis:
Fluxit ab Oleniis fontibus ille lepos.
Carmina linigeri non iſta dedere Cadurci:
Non hæc tam doctos contulit aura ſales.
Bertaldum myrto tenerum texere palumbes,
Ubera lactenti cùm daret ipſa Venus.
Valclinis teretes cædentem Pana cicutas
Vidimus; hinc illis fiſtula juncta fuit;
Fiſtula, Fraxineas inter notiſſima ſylvas,
Arcadico referens carmina digna Deo.
Iſtâ Patriſius nuper projectus in umbrâ
Ludebat virides inter Hamadryadas.
Ipſa etiam Montem ſubter dictabat Acutum
Savario leges caſta Diana ſuas.
Non puduit molles Saraſini ad carmina Nymphas
Sub crotalis criſpum ducere ab arte latus.
Albius huic ſi contrà auſit certare Tibullus,
Judice vel Nemeſi poſteriora feret.
In medio ſtantem juvenes cinxere Malherbam;
Nexaque ſutilibus ſerta tulere roſis.
Ille Deo ſimilis, citharâque inſignis eburnâ,
Saxa movet, rapidas & fide ſiſtit aquas.

Poſteritas etiam mihi ſera rependet honores,
His ſi me quondam jungere fama volet.
Ergo age, Cadmæis audax bacchata poëtis
Scande juga, atque virûm tu quoque in ora veni.
Aggredere æternos, quos Phœbus ſpondet, honores:
Non omni placeat laurea lecta jugo.
Te nemus hoc, te luſtra vocant, te Naïades udæ,
Te medio ſurgens Olena fonte vocat.
Tempus erit, cùm tu Phœbeâ fronde revinctus,
Quadrijugis vectus conſpiciaris equis,
Et tibi pulſanti vocales pectine nervos
Plaudat honorato ſedula turba ſeni.
Nec levis hinc noſtris accedet gloria rebus,
Nobis déque tuo nomine nomen erit.
Sic puerum Hallæus monitis urgebat amicis.
Creſcebant animi juſſa ſub illa mei.

II.

AD LYCORIDEM.

Ex perſonâ Cn. Cornelii Galli.

ERgo ego fallacis nuper nova cura puellæ,
Excluſus ſurdas nunc querar ante fores?
Et poterit vanâ malecautum fallere linguâ,
Et mecum teſtes fallere inulta Deos!
Nunc ubi pacta fides, conjunctaque dextera dextræ,
Verbaque confictis diſſimulata dolis?
Credulus omnis amans: utinam malè credulus errem,
Et falſâ eluſus credulitate querar.
Se tamen haud dubiis, nec noſtrum id fallit amorem,
Indiciis prodit mox violanda fides.
Non licet aſſuetos in vultu agnoſcere riſus,
Non ore in nitido nutus amantis ineſt;
Blanditiæque, jocique leves, molleſque ſuſurri,
Et quæ flexanimus verba miniſtrat amor.
Quæ mihi culpa nocet? quo crimine, ſæva Lycori,
Commerui faſtus ſuſtinuiſſe tuos?
Pectora manſerunt fallenti fida, nec alter
Arguitur nobis præter puiſſe calor;

Huc ades, ô noſtris fruſtrà expugnata querelis;
Huc ades, ô oculis inſidiata meis;
Inque ſidus redeas, ô formoſiſſima, noſtros:
Pollicitis debes jungere facta tuis.
Quid refugis puri ſincerum pectoris ignem?
Quid faciles luſus, ingenuoſque ſales?
Hæc olim, fas ſit jam dicere vera, placebant,
Et potuere animos conciliaſſe tuos.
Cantabam? noſter decuit, te judice, cantus:
Saltabam? hac inerat mobilitate decor.
Dulcia Pierio meditabar carmina plectro?
Jurabas Clario carmina digna Deo.
Quid juvat ingratam votis ſuperaſſe puellam?
Quid juvat officiis demeruiſſe meis?
Clauſa quid obſcuras jacuiſſe ad limina noctes;
Cùm Deus effuſo tunderet imbre latus?
Quid foribus pictas juvat impoſuiſſe corollas?
Oſcula quid poſti ſæpe dediſſe tuo?
Nobile, ſi neſcis, per me jam nomen adepta es;
Et ſociis facta es invidioſa tuis.
Neglectus mihi fons ſacer eſt, & culmina Pindi,
Pierideſque Deæ, Pieridumque Deus.
Te propter blandos Galateæ ſprevimus ignes,
Nec vinctam piguit deſeruiſſe fidem.
Et tamen hæc reliquas inter formoſa puellas
Fertur, & eſt multis ſæpe petita procis;
Crebra ad me teneros referebat litera queſtus,
Litera, quam lacrymis ſparſerat ipſa ſuis:

Non ſolitum pondus dulces habuere querelæ;
Et gemitus mœſtos mobilis aura tulit.
Admiſſa his luimus forſan perjuria pœnis,
Peccato forſan torqueor ipſe meo.
Forſan & exemplo fieri vis perfida noſtro,
Ut mala commiſi quæ prior, ipſe feram.
At noſtro potiùs ſapias maleſana periclo,
Ne pariter læſos experiare Deos.
Pallere cæleſtes pudeat, jurataque ſæpe
Sidera, polliciti conſcia facta tui;
Noſtro infuſa ſinu primâ cùm nocte jaceres,
Ad ſtrepitus raucos prætereuntis aquæ.
Eſt prope Dardaniæ candentia mœnia Romæ,
Floribus & læto gramine pictus ager:
Hinc viridi ridens aſſurgit ceſpite collis,
Evolvit placidas hinc Tiberinus aquas.
Grata quies riguæ florenti in margine ripæ,
Gratum in gramineo procubuiſſe toro.
Sæpe illuc taciti ſubmotis teſtibus ambo
Venimus, occultos nocte juvante dolos.
Aſt hæc ante alias (meminiſſes vana Lycori)
Ante alias omnes hora beata fuit,
Cùm tu egreſſa domo, dictâ maturior horâ,
Veniſti ad juſſum non comitata locum.
Méque renidenti caſtigans ore morantem,
Improbe, dixiſti, ſiccine ſerus ades?
Candida formoſos veſtis velaverat artus:
Vitta renodatam preſſerat arte comam.

Talem cœruleus quondam Nereïda Delphin
Vexit ad Hæmonium per ſreta longa virum.
Sedimus ad mollem ſinuoſi fluminis undam ;
Summa ferè noſtros contigit unda pedes.
Non puduit tunc lenta meis dare colla lacertis ,
Et caput in gremio compoſuiſſe meo.
Lux mea , dicebam , cæleſtia numina teſtor ,
Dum vivam , tempus te fore in omne meam.
At tu purpureis figens mellita labellis
Oſcula dicebas , Tu quoque noſter eris ;
Concepto tantùm faveant pia numina voto ,
Quæque micas cælo , Delia , teſtis ades.
Curva renaſcentis ſplendebant cornua Lunæ ,
Et placida æſtivæ tempora noctis erant.
Audiit è cælo promiſſum Luna ſereno ,
Clarius & puro ſidere lumen iit.
Audiit & glaucus vitreis Tiberinus ab antris ,
Quæque colunt Tiberis curva fluenta Deæ.
Aſt hæc præcipiti Boreæ nunc vota dediſti ,
Atque procelloſis diripienda Notis.
Lædere nec verita es , quos nuper ſupplice linguâ
Præſentes fueras teſtificata Deos.
Indoluit falſis ſpretam ſe Cynthia verbis ,
Déque aſtro viſa eſt erubuiſſe ſuo ;
Cùm tua volventem tacito perjuria corde
Me vidit ſolito Cynthia flere loco.

I iv

Omnia fortunent Superi; ſua ſæpe Diana
Vindicat ultrici numina læſa manu.
Læſa hæc incautæ Cydippes febribus artus
Torruit, & Ceum juſſit habere virum.
Bis ſeptem Niobe natorum funera vidit:
Vidit, & eſt Sipyli vertice facta ſilex.
Terreat Œnidæ validis fera fixa ſagittis:
Terreat ambuſto torre ſceleſta parens.
Et viſâ ſine veſte Deâ Autonoeïus Heros,
Miratus fronti cornua nata ſuæ.
Quàm timui, cùm tu morbo tentata doleres,
Ne Divis pœnas impia lingua daret!
Dî, prohibete nefas; nec ego crudelis amorem
Hac mercede velim promeruiſſe tuum.
Sit ſatius vixiſſe ream, ſi crimina cordi
Sunt tibi, quàm fatis occubuiſſe ream.
Me tamen & curis, te crimine, téque periclo
Exolviſſe potes, ſtet modo pactus amor.
Stet promiſſa fides, ſerumque adoleſcat in ævum;
Hæc ſit cura mihi, cura ſit illa tibi.
Juppiter ex alto probet hoc ſublimis Olympo:
Hoc Venus, hoc Veneris filius ipſe velit.

III.

THEA.

I, Puer, i; Theam confeſtim in pocula miſce:
Urget non ſolitus lumina noſtra ſopor.
Mens ſtupet: obtuſæ languent in corpore vires.
Languorem ſolvet vivida Thea novum.
Dum loquor, ecce focis infertur ſeſſilis olla.
Appoſito infuſus æſtuat igne latex.
Protinus injicitur contortis Thea capillis.
Explicat implexas fervida lympha comas;
Impletur vacuum cæleſti nectare pectus.
Intima vitalis permeat oſſa calor.
Jamque fugit venis ignavi cauſa veterni:
Marcida jam cæco fomite membra vigent.
Actutum incaluit blando mens icta vapore,
Dum felix agitat percita corda furor.
Non luctu eſt animus, non curæ obnoxius ulli:
Sed jocus, & riſus, deliciæque placent,
Urbanique ſales, & tinctus ſermo lepore,
Et quæ multa ſolet fundere lingua dicax.
Nunc juvat aſſiduos intermiſiſſe labores,
Et dulcem ſtudiis inſeruiſſe moram.
Nunc juvat & facili voces inflectere cantu,
Aut digitis reſonæ ducere fila lyræ.
O Thea! ô ſacro demeſſæ termite frondes!
O ſtirps magnorum munere nata Deûm!

Quæ te læta tulit regio ? quo limite cæli
Alma ſalutifero germine turget humus ?
Hanc pater Eois Phœbus conſevit in hortis :
Aurora aſperſit rore benigna ſuo.
Et, ſeu materno * juſſit de nomine dici,
Sive Deûm ex donis, Thea vocata fuit.
Quippe tulere Dei naſcenti munera plantæ.
Lætitiam Comus, Mars animoſque dedit;
Túque, Coronide, ſuccos facis eſſe ſalubres ;
Hebe, fers rugis canitieque moram.
Mercurius vegetæ mentis conceſſit acumen.
Argutum Muſæ contribuere melos.
Ergo non alios in carmina ſufficit æſtus,
Qui Pimplæa rigat nobilis antra latex.
Hinc Theæ quiſquis crebro ſe proluit hauſtu,
Tradidit huic artes dexter Apollo ſuas,
Et caput implicuit lauro, curruque levatum
Sacra coronatis ad juga vexit equis.
Non ego divini penitus ſum muneris expers ;
Thea meo tingit ſæpius amne comas.
Spumea cùmque ſuis infecit pocula ſuccis,
Et mea jucundus fluxit in ora liquor,
Mens commota novo confeſtim excanduit œſtro :
Venere ad numeros carmina ſponte ſuos;
Carmina, quæ ſeri ſtudeant didiciſſe nepotes,
Cadmæiſque canat docta puella jugis,

* *Thea Aurora mater.* Heſiod. Theog.

Et circùm recubans avidâ bibat aure juventus,
Aut agat ad teneros mollia membra modos.
Dicat &, Hæc iſtis cantabat Huetius antris;
Oſtendatque meâ ſaxa notata manu.
Livor edax, in me vanis incurris habenis.
Melpomene cedro nomina noſtra linet.
Méque ſuis addet laudatrix Gallia faſtis;
Illum poſt cineres ſpondet Apollo diem.

IV.

Ἐπὶ τῷ Λοδοΐκου ΣΕΛΤΖΙΟΥ

Εὐγενεστάτου καὶ ἐλλογιμωτάτου νεανίου θανάτῳ.

ΕΛΕΓΟΣ,

Ἄρχετε νῦν λιγυρῶ, ἕταροι φίλοι, ἄρχετε πένθους,
Ἠιθέον κῦδος κάλλος κάτθανε Σελτζιάδης.
Παιδικὰ χρυσείας Ἀφροδίτης, ἔρνος Ἀρῆος,
Ἡρώων τε γένος ἐυκλεὲς, αἷμα Διός.
Στήθεσι Φοῖβος ἔφιζεν ὅλος, Χάριτές τε παρειαῖς,
Χείλεσι μὲν Πειθὼ, καὶ βλεφάροισιν Ἔρως.
Καὶ τοιοῦτον ἐόντα δυσώνυμος ἥρπασε μοῖρα,
Οὐρανίων τ' ἀνέροις πέμψεν ἄθυρμα θεῶν.
Αὐτὰρ Φαβρίκιος, μουσῶν κλέος, οὐ φρεσὶν ἔτλη,
Αἶψα δὲ ἐξέθορεν ὕβριν ἀμυνόμενος.

Παλλὰς Ἀθηναίη, ἐ Φοῖβος συμπαρομάρτευν;
    Πιερίδων δ' ἔνθεν ἀντιάασκε Χορός.
Ἡδέα φορμίζουσιν ὁμοῦ, θαμβεῦσα κατίσχει
    Ἶς ἀνέμου πνοιὰς, καὶ ῥέθιον ποταμοῖο.
Θελξινόοις κληθεὶς μολπῇσι, Κόρης γ' ἀεκούσης;
    Ηερόεντα ζόφον κάλλιπε Σελτζιάδης.
Εἴκελος Ἀθανάτοισι παλίσσυτος ἐξεφαάνθη,
    Παντοῖ' ἀνὰ στόματα ζησάμβρος πνυτά.
Ὡς φάσαν αἰγείδην σειρῆς ποτὲ Περσεφονείας
    Εἰργμένον Ἀλκείδου ἄλκαρ ὑπεξερύειν.
Ἱππολύτῳ τε δεδυκότι καὶ πάλιν ἐς φάος ἐλθεῖν
    Θελκτῆρος μῆτις δῶκε κορωνίδεω.
Λήγετε νῦν λιγυρῶ, ἕταροι, ἴτε, λήγετε πένθευς,
    Σελτζιάδης ἦμαρ μόρσιμον ἐξέφυγεν.

EPIGRAMMATA.

I.

Epigramma αἰνιγματῶδες.

SYrmatopullilutoſitrahus, doctorionummus;
Romulidiſtoricus, gloriolaucupida,
Loripedatquecathedrituus, mentaureobarbus,
Putrididentinus, ruſipiloſicutis,
Simychonariſluus, rubicundoculumidilippus;
Hircaxillolidus, roſtrirepandibrochus,
Trinigalerigerus, ſimulacriplateidecorus
Franciſcanicola, nugipolyloquides.

II.

AD CHANAVARINUM.

Pro redditâ verſibus Gallicis Vite Eclogâ.

IMmeritam Vitem quo ſis dignatus honore
Audiit, & ſubitò ſic mihi Phœbus ait:
Eſt jam, cui Vitis plus quàm tibi debeat, alter;
Eſſe illi dederas, hic dedit eſſe bene.

III.

Εἰς τριχίδειπνον παράσιτον.

Εὔχομαί, ὦ γένετορ πάντων, ὃς ὀλύμπια ναίεις
Δώματα, ὄν ποτε βῇ, θάνατον μετὰ, εἰς ἄϊδος δῶ
Νυκτιλαθραιοφάγος τε καὶ ὠμοβόρος τριχίδειπνος,
Εὐμεγέθους στόματος μέγ' ἀφαιρεῖν ἕρκος ὀδόντων,
Φλοιοῖς θ' ἰσσάμβρα σκληροῖς παρ' ἀμύγδαλα θεῖναι
Αἰτίας μιαροῦ παρασίτου τῆδε κολάζεις.

IV.

Εἰς ἑαυτόν.

Κάδμος ὄπασσε πάτραν, μοῦσαι δέ με παῖδ' ἀτίταλλον,
Ὑέτιος κρονίων δῶκεν ἐπονυμίην.
Ἐν μυχίοις πραπίδεσσι καθέζετο Φοῖβος ἀνάσσων:
Οὐδὲν ὅλως καθ' ἐμοῦ ἴσχυεν ἔχθρα τυχῆς.
Ἐν δὲ κυλινδομένου πηλώδει συρφετοῦ αἴης
Νῦν δεινὸς θεόθεν οὐρανοῦ εἷλκεν ἔρως.

V.

AD MARIAM PRATEAM,

VIRGINEM ERUDITAM.

Ut miſſis ſeriis det ſe jucunditati.

ODimus horridulas adductâ fronte puellas !
 Quæ miſcere jocos noverit, illa placet.
Nos vates gens læta ſumus ; ſic juſſit Apollo ;
 Juſſit & argutos ſpargere Muſa ſales.
O nimiùm tetricæ ſtudiis operata Minervæ,
 Pratea, contractum pone ſupercilium.
Riſit Pythagoræ conjux antiqua renati,
 Heſperiis quanquam non minor illa Sophis.
Riſit & Erinne ; riſit formoſa Corinna,
 Pindaricam toties vincere docta chelyn.
Non te deliciis ſuperet jucunda vetuſtas :
 Nominibus priſcis te quoque finge parem.
Corriſiſſe mihi dicetur Pratea virgo ;
 Exemplum reliquis Pratea virginibus.

V I.

IN COR GULIELMI MENAGII,

Conditum in ſepulcro Magdalenæ Loëtæ uxoris non-dum defunctæ

HUc cor Menagii duplici mors funere merſit,
Cùm corde abjunxit, caſta Loëta, tuo.

V I I.

Inſcribendum Cryptæ Conchyliatæ

HERCULIS VALQUELINI YVETELLI.

HAs habuit formoſa Venus cunabula con-chas,
Surgere & has inter nunc quoque ſæpe ſolet.

V I I I.

In imaginem CHRISTINÆ Suecorum Reginæ nummo impreſſam:

In cujus anticâ parte Reginæ ipſius vultus, in poſticâ Solis effigies expreſſa eſt.

PHœbus CHRISTINÆ pictos in imagine vultus
Ut vidit, tales miſit ab ore ſonos:
CHRISTINAM quiſquis ſe pingere poſſe putavit,
Se jubar ille putet pingere poſſe meum.

IX.

IX.

In Gelliam cæco nuptam.

CAllida quàm ſapuit, cùm nupſit Gellia cæco:
Quippe ſemel viſam ducere quis poterat?

X.

IN MATTUM ALEATOREM.

Verſibus Latinis vel optimè ſcribendis ingenium non requiri ſtatuentem.

AUrea Romano qui carmina concinat ore,
Ingenio Mattus poſſe carere putat.
At te, hæc qui garris, dextram verſante fritillo,
Judicio cur non, Matte, carere putem?

XI.

In obitum

JOAN. BAPT. POQUELINI MOLERII,

Comicorum & Comœdorum ſuæ ætatis facilè principis.

PLaudebat, Moleri, tibi plenis aula theatris;
Nunc eadem mœrens poſt tua fata gemit.
Si riſum nobis moviſſes parciùs olim,
Parciùs heu! lacrymis tingeret ora dolor.

XII.

In obitum GAB. COSSARTII.

QUi blandi ſtudiis Coſſartus floruit oti ;
Et tot inexhauſto pectore clauſit opes ;
Ille, per humanas, dixit, ſat luſimus artes,
Jam divina libet viſere, terra vale.

XIII.

IN POLYCRENEN,

Agri Sancaronii & Bavillæi fontem.

CAſtalium mendax quid jactas, Græcia, fontem ?
Quid Phœbum, & ſocias, nomina vana, Deas ?
Quæ Sancaronicis Polycrene labitur arvis,
Obſcurat famam, nobilis unda, tuam :
Hæc facit innumeros fecundo gurgite vates,
Afflat & in laudes enthea corda ſuas.
Huic quoque numen adeſt, huic & ſuus adſtat Apollo,
Cùm placidis adſtat Lamoniæus aquis.
Cui comitem ſeſe dederit ſi fortè Rapinus,
Unà Pieridum tunc chorus omnis adeſt.

ODÆ.

I.

AD DIVAM VIRGINEM YVRANDÆAM SERVATRICEM.

ODE,

Quam Sacerdotes Cadomenſes ad ſacellum illius ſolenniter procedentes canere conſueverunt.

DIva Servatrix, bona Bajocani
Littoris cuſtos, prece quæ rogantum
Non gravis flecti, mala Cadomæis
Finibus arces :
En cliens ſacras tuus hîc ad aras
Accidit pronus ; meritoſque, dulcem
Increpans plectro citharam ſonante,
Dicit honores.
Hortuit fœto tua nactus arvo
Paſtor effoſsâ ſimulacra terrâ,
Agna cui ſimplex præiit, latentis
Numinis index.
Ungulâ terram fodiens biſulcâ
Fertur obſtipos tenuiſſe vultus,
Immemor prolis pecus, & virentis
Immemor herbæ.

Proximis circùm ſtudioſa campis
Advolat pubes, rigidus colono
Ponitur vomis, labefacta linquit
Jugera foſſor.

Inter arentes reſupina glebas;
Læta contingi manibus piorum,
Floribus ſpargi patiens odoris,
Proſtat Imago.

At bonus tandem precibus ſacerdos
Rite conceptis, ſterili jacentem
Erigit campo, ſtabilique celſam
Sede reponit.

Hîc tuo pendent capiti coronæ;
Hîc tuas flammis adolemus aras,
Hîc odoratos tibi dant Sabæa
Thura vapores.

Tu maris fluctus rapidos Britanni
Nutibus rectrix moderaris æquis,
Te procul ſummâ pavidus ſalutat
Puppe magiſter.

Littoris compos, dubiiſque nauta
Te canit functus pelagi periclis,
Et coronatos decorat tabellâ
Supplice poſtes.

Aridos per te rigat imber agros;
Imminens per te ſegetes adultas
Tranſvolat grando, tumidiſque mutat
Merges ariſtis.

Ad tuum tendens pia turba limen
Oppidis exit bene feriatis,
Frigidæ vernis ubi mitigantur
Solibus auræ.

Floridis lentè ſpatiata campis
Pompa dum procedit, Io triumphe;
Plebs canit, læto præit ore ſacra
Verba Sacerdos.

Luciæ valles, Doveræque circùm
Adſonant ſaltus, virideſque ripæ,
Rupibus longè latitans marinis
Adſonat Echo.

Flamines feſtis operantur aris:
Hinc & hinc ſupplex tibi languidorum
Turba procumbens onerat piis altaria donis.

Tu ſalutari relevas jacentûm
Arte languores, oculis tenebras
Pellis indulgens, & iniqua linguæ
Vincla reſolvis.

Per recurrentes revoluta febris
Temporum lapſus, fugit inquietis
Protinus membris; fugit æſtuanti
Aëre peſtis.

O Parens Nati, ſoboleſque Patris;
Sive ſtellato dominaris axi,
Altior nimbis, & agente menſes
Altior aſtro;

Seu polo lapſam magè Cadomæi
Arva delectant, reſonumque propter
Littus aurato tua templa gaudes
Viſere curru:
Noſtra devoto tibi cumque Muſa
Serviet plectro; tibi noſtra ſerpet
Laurus æternis veneranda circùm
Tempora ramis.
Laus Deum vivax maneat Parentem;
Natus extento celebretur ævo;
Spiritûs longis adoleſcat ingens
Gloria ſeclis.

II.

IN VENUSTISSIMA JOANNIS REINALDI SEGRÆSI *POEMATA.*

DUm leves inflat calamos Segræſus;
Audiant miſtis juvenes puellis,
Suavè quos ridens Cytherea blando
Contigit igni.
Eſſe non ulli vacet otioſo:
Vulgus impurum procul hinc faceſſat:
Præbeat neu quis malè feriatam
Cantibus aurem.

Ridet hîc paſſim Venus ; hîc ſagittis
Ludit intentis volucer Cupido ;
Hîc choros zonis Charites ſolutis
Ducere gaudent.
Quos ad Amphryſum numeros Apollo
Rupibus quondam cecinit remotis,
Hîc modis audax paribus Segræſi
Reddit arundo.
Cùm ſacro tales daret ore cantus ;
Olenam junco viridem paluſtri
Non ſemel ſummâ caput efferentem
Vidimus undâ.
Interim venti ſteterunt ſilentes,
Atque ſuſpenſos tenuere curſus :
Olenæ patris requieſſe fertur
Immemor urna.
Quin & arrectæ procul audierunt
Aure Segræſum bibulâ canentem
Naïades glauco niveum revinctæ
Pectus amictu.
Vidimus curſim Dryadas relictis
Saltibus lætas properare circùm, &
Pana currentem ſimul efficaci
Carmine ductum.
Una præ multis tenero benignam
Carmini mentem Dryas applicabat ;
Unde ringenti potuere rumpi
Ilia Mopſo.

III.

AD CAROLUM PERERIUM,

Poëtam laureatum.

NOn vides quanto populi frequentes,
Docte Pereri, ſonuere plauſu,
Aureo dulces ſimul impuliſti
Pectine nervos?
Audit, & ſecum meditata Clio
Reddit auditum ſtudioſa carmen;
Arduæ circùm tremuere ſummo
Vertice laurus.
Reddit umbroſis recubans viretis
Ultimæ ſeu qui tenet arva Calpes;
Sive qui potat vaga fabuloſi
Flumina Gangis.
Te decet molles levium ſuſurros
Virginum grato celebrare cantu,
Rapta vel furtim malè pertinaci
Præmia nymphæ.
Te decet Bacchi cyathos, & ipſum
Pampino Bacchum viridi nitentem;
Te decet Faunos numeris procaces
Dicere parvis.

Mox

Mox tibi verſu procul audiendo
Maximus rerum LUDOVIX canetur;
Fortibus quandòque ruens Iberum
Contudit armis
Vana jactantem: ſimul ut perenni
Laureâ victor caput impedivit,
Dexteram mox & decorabit almæ
Termes olivæ.
Concines curas vigiles IULI,
Ut rebellantum vario tumultu
Altior cæcas oculo irretorto
Deſpicit iras.
Interim ſolis reſupinus antris,
Hîc ubi lymphæ ſaliunt fugaces;
Dividam glaucis operoſa lentus
Carmina Nymphis.
Lesbio chordas feriens loquaces
Mutuum plectro modulabor ignem;
Quo meum pætis ARAMINTHA pectus
Urit ocellis.
Nos quibus primùm, referam, ſagittis
Contigit natus Veneris marinæ;
Nunc ut æterno ligat irreſecta
Copula nexu.
Candidæ dicam joca tum puellæ,
Tum canam frontis nitidæ lepores,
Quóque naſcentis Venus os decorum
Nectare tinxit.

Hanc levis circùm volitat Juventas ;
Preſſit ut molli ſemel arva plantâ ,
Protinus flores & odora fundit
Gramina tellus.
Sive feſtivas agitans choreas
Ad lyram comtis comes it puellis ;
Sive frigenti fluvio venuſtos
Abluit artus.
Talis Idæis ſtetit alma campis
Ante paſtorem Phrygium Dione ;
Cùm Deæ latè ſtupuere nudum
Gargara pectus.
Talis & purâ face Noctiluca
Emicans ignes ſuperat minores ,
Spumeo poſtquam retulit ſerenos
Æquore vultus.
O mihi longos utinam per annos
Plebe ſecreto liceat profanâ ,
Liberam curis , Araminтha , tecum
Ducere vitam :
Pòſt ubi ſeri revolutus ævi
Terminus mortem tulerit propinquam ;
Una nos mergat gelidos eodem
Hora ſepulcro.

IV.

AD LUDOVICUM XIV.

Quum fœdus iceret cum Philippo IV. & Mariam Thereſiam ipſius filiam duceret.

CEu fœtus atro turbine ſpumeis
Cùm frangit auſter pumicibus mare,
Et multa nautas apprecatos
Verticibus quatit æſtuoſis ;
Totoque differt æquore carbaſa,
Si fortè ſalſis involitans vadis
Fulgore collucens benigno
Œbalidûm vagus ignis ardet ;
Ceſſere venti protinus, impotens
Fluctus recumbit, Sol nitet aureus,
Cælumque nimbis occupatum
Lumine purpureo recludit.
Sic non timentem funera Galliam
Poſtquam feroci ſævus Iberiæ
In bella commiſit recenti
Sanguine Mars, jaculiſque gaudens ;
Genteſque, longâ militiâ, feras
Fortuna triſtes cæca per exitus
Attrivit, & ſeros in annos
Lethiferum retulit duellum ;

Auro tumentis littoribus Tagi
Fulſit nitenti pulchrior Heſpero
MARIA, funeſtas cruentæ
Mox tenebras domitura noctis;
Hanc, gentis ô Rex optime Celticæ,
Blandi ſagittis icte cupidinis,
Tuque, ANNA mater, ſæpe vobis
Sollicitis precibus petitam
Deducit Hymen alite proſpero.
Jam tæda luxit ſplendida pronubæ
Junonis, & pictum MARIÆ
Implicuit Venus alma Ceſtum;
Huic Pax eunti, grataque Fauſtitas,
Fraudiſque vindex cana Fides præit,
Et ruris oſtentans honores
Frugifero Dea læta cornu.
Ergo ſceleſtam concutiens facem,
Et viperinis horrida crinibus,
Quam Luctus & Curæ ſequuntur;
Tartareas repetit latebras
Frendens Erinnys: tincta cruoribus
Jam tela condit miles: & aſpera
Rubigo, lento dente rodens,
Mox reſides gladios retundet.
Non officinis Mulciber igneis
Formare Marti ſpicula Thracio
Addet, nec incudi ſonoræ
Impoſitus crepitabit enſis.

Sed quiſque lentus collibus in ſuis
Soles amabit condere lucidos,
Gaudenſque villoſos comatis
Velleribus ſpoliabit agnos.
Illum juvabit ducere languida
Obliviosi pocula Liberi,
Myrto coronatum nitentes
Aut oleâ viridi capillos.
Pars ſedularum Pieridum cliens
Mentem decoris artibus excolet,
Phœbique cultus promovebit.
Te, LUDOVIX, pater atque princeps;
Seu jura mavis ponere gentibus
Nuper ſubactis, capta vel oppida
Luſtrare victor, ſeu benignis
Imperiis fera corda mulces;
Sive ordinato milite ludicram
Miſcere pugnam; ſive animum juvat
Rebus fatigatum gerendis
Innocuo recreare ludo;
Diri pavebunt littora Boſphori,
Ingens pavebit Memphis, & abditos
Converſus ad fontes fugacem
Nilus agens trepidabit undam;
Ne luctuoſam, non patiens moræ,
Sibi catenam ductus adoreâ
Majore nectas, vel locare
Tecta velis Solymæ jacentis.

Commiſſa regni Julius interim
Componet altâ mente negotia,
Curâque firmabit ſagaci
Quam populis peperit quietem;
Nuper duellis dictus amicior,
Quàm pacis almæ dulcibus otiis;
Mavorte nunc gaudet ſepulto
Perpetuum pepigiſſe foedus.
Leges ſeveræ virginis arbiter
Appendet æquâ lance Lamonius;
Preceſque deſpectans nocentum
Rite ſcelus gladio recidet.
Non hæc futuris acta nepotibus
Diſcenda carpant dentibus invidæ
Obliviones, nec vetuſtis
Evaleant abolere faſtis;
Aſt eruditis carminibus potens
Arcere letho Mercurialium
Manus virorum tot labores
In veniens celebrabit ævum.
Me præter omnes Æoliâ fide
Mirans videbit Gallia nobilem,
Lauroque velatum recondam
Sydereos caput inter ignes.

V.

AD EUNDEM.

Fama æternitatem non niſi carminum ope conſequetur.

CLarum perpetuis nomen honoribus
Dum ſeris LUDOVIX transſdere ſæculis,
Ætateſque parat ferre per ultimas
Quæſitum meritis decus :
Nunc vel nobilium Pyramidum ſitu
Auguſto monumentum extruit altius ;
Nunc vultus Pario marmore regios
Ducunt artifices manus.
Deſcendens patrio protinus æthere
Pallas, Dardaniam qualis ad Ilion
Peliden adiit, atque ſalubribus
Juvit conſiliis ducem :
Talis Borbonidæ poſt caput adſtitit.
Heu vano nimiùm credule marmori,
Quid tentas ſtudio, dixit, inutili
Nomen tranſdere poſteris ?
Quæ tu cunque paras, hora volucribus
Abſumet ſpatiis : nec pote lividum
Dentem præcipitis frangere Temporis
Mortales hominum manus.

Magni nata Jovis ſola volubiles
Frænat Calliope Temporis impetus.
Quod nigro Lacheſis ſtamine texuit,
Audet Muſa retexere.
Et mox illa tuis parta laboribus,
Si non Muſa vetat, laurea decolor
Areſcet moriens, palmaque languidis
Amittet foliis decus.
Prudens Cecropiæ conſilium Deæ
Attentis LUDOVIX combibit auribus;
Et neglecta ſacræ culmina Phocidos
Blando lumine reſpicit.
Tum lauros bifido vertice marcidas
Æternis videas ſurgere frondibus.
Largo virgineum flumine proluit
Montem Pegaſeus latex.
Jam gaudent reſides ſumere tibias
Vates Caſtaliis hauſtibus uvidi,
Et priſci reparant munera carminis
In laudes, LUDOVIX, tuas.
Hic vel Mæoniis cantibus aſperæ
Faſtus edomitos narrat Iberiæ,
Vel pronos humilem flumine ſupplici
Rhenum volvere vortices.
Læſum ſacrilego crimine Principem, &
Cyrnæi furias auſaque militis
Hic triſtes elegos fingere doctior
Argutis queritur modis.

Mox & te, Cavarum pulcher Avenio ;
Auratis iterum floride Liliis ,
Et Romana diu vincula perpeti
Iratum Rhodanum canit.
Verſus ille truces fundere nobilis ,
Quales bile tumens Archilochus vibrat ;
Turbati Lotharum fœderis arguit.
At me tempora floribus
Vinctum purpureis , quà pater aggeres
Lentè Cæſareos Olena perfluit ,
Gaudentem numeris & fide Lesbiâ ;
Auguſti tenuem juvat
Luſus innocuos dicere Principis.
Et ni Parca meos fregerit impetus ;
Olim Borbonidæ (nam bonus annuit)
Dicam fors quoque prælia.
Servabunt numeros , noſtraque concinent
Miſtæ cum pueris carmina virgines ,
Formoſo dociles reddere pollice
Cantus vatis Huetii.

VI.

AD NICOLAUM HEINSIUM.

Poëta inter aulæ tumultus patriæ deſiderio tenetur.

ERgóne æternis agitemur, HEINSI,
Fluctibus rerum, dubiæque ſortis
Aura nos ſemper maleſida cæco
Turbine verſet?
Jam ſatis longos patimur tumultus;
Jam decem Titan reparavit annos,
Vana me poſtquam patriâ carentem
Detinet Aula.
Lege non illâ Phrygias paciſcar
Attali gazas, Aſiæque campis
Aurifer quidquid trahit in rubente
Hermus arenâ.
O ubi molles Cadomi receſſus!
Quis mihi longè vetus hinc ſodalis
Obviam prodit, reducique lætus
Montis acuti
Monſtrat optatum digito cacumen;
Luſibus quondam loca ſacra noſtris,
Cùm darent certis faciles diebus
Otia Muſæ!

O ubi quondam mihi nota pubes ;
Atque defeſſæ juvenum choreis
Olenæ Nymphæ , levibuſque rura
Cognita Nymphis !
Illa vitales mihi lucis auras
Præbuit tellus , eadem ſepulcro
Oſſa componens cineri ſupremos
Reddat honores.
Sin eas ſedes mea ſors negarit ,
Tum meæ quæram requiem ſenectæ ;
Hîc ubi lætas fluit inter alnos
Frigidus Udo.
Monte qui primum ſaliens propinquis
Roſcidis murmur meditatur antris ,
Et coloratos querulo laceſcit
Rore lapillos.
Mox citas latis vagus æſculetis
Colligit lymphas , tumiduſque fluctu
Olenam patrem petit , & minaci
Provocat undâ.
Annuo fontem celebrans honore
Ludit exultim petulans juventus :
Virgines adſtant , hilarique ſolvunt
Ora cachinno.
Nec puellares animos voluptas
Sola proleĉtat ; venerantur amnem ;
Et ſatas circùm ſalices amœnis
Floribus ornant.

Veſtit umbroſas rudis herba ripas ;
Stagna pellito pede tranat anſer ,
Piſcis incaſſum ſaliens tenaci
Ducitur unco.

Inde paſtorum reſonant cicutæ ,
Lucidum tergo gerit agna vellus ,
Explicat longum latus inter altas
Vacca geniſtas.

Ipſe Pan ſpreto veniens Lycæo ;
Sæpe formoſam Pythin in remotis
Montibus cantat , ſua jam nec illi
Mænala curæ.

Illa præ cunctis mihi ridet ora ;
His amem lentus jacuiſſe ripis ,
Floreos inter recubans beati
Ruris odores.

Hinc meo nectam capiti corollas :
Non mihi quàvis placuere flores
Valle decerpti , neque lectus omni
Ceſpite ramus.

VII.

AD TEMPE ALNETANA.

Tibi grates, Zephyris hoſpita tellus,
Tibi laudes cano, florum ſacra mater,
Tua tandem, tua viſo repetito juga curſu.
Studiorum pia nutrix, Pariſinos
Strepitus huc fugienti nemus altum
Bona præbes, & amicâ recreatum lavis undâ;
Potes acres animi pellere curas;
Relevas ingenii tædia feſſi,
Simul atrâ recubantem corylorum tegis umbrâ;
Mihi robur vegetum læta miniſtras:
Tua cùm pectoribus ducitur aura,
Subit intus reparatos juvenilis vigor artus.
Neque fulmen, neque fœdus ruit imber;
Neque frigus, neque fervens nocet æſtas;
Tua naſcens juga Phœbus meliori linit auro.
Tua Muſæ faciles antra frequentant;
Salientûm Satyrorum pede pulſos
Dea colles jaculatrix ſinuato quatit arcu.
Per amœnos ſpatiari juvat agros.
Date luſus, mea Tempe, date ſomnos;
Vitreâ quà per opacum levis Udo ſtrepit urnâ,
Novus anni ſtitit his me tepor oris:
Neque linquam loca mœrens priùs iſta,
Abigat quàm Tegeææ glacialis rigor Urſæ.

VIII.

AD ANTONIUM HALLÆUM.

Ut carmina ſua in unum colligat, & in lucem edat.

DUm nuper altis Caſtaliæ jugis
Incertus erro, me biſido pater
De monte Latous paventem
Vocibus alloquitur canoris:
Quicumque noſtrum ſollicitâ prece
Ambit favorem, non ſimul occupat;
Plerumque fallaces caduca
In zephyros abiere vota.
Unus repulſæ neſcius aſperæ
Haud unquam iniquum ſenſit Apollinem
HALLÆUS; haud hunc fiſa noſtris
Numinibus ſua ſpes fefellit;
Seu grandiori carmine concinens
Heroas altum tollit in æthera;
Seu quærit argutos jocoſa
Muſa modos leviore plectro;
Aſt ille blandâ quæ retulit prece
Obliviosus præmia negligit,
Nulloque non partam labore
Progeniem expoſuiſſe gaudet;

Cur non remotæ ſplendida providus
Æternitati munera conſecrat,
Digeſta manſuris reponens
Ordinibus veniens in ævum?
Cumæa vates ſic levibus ſua
Mandavit olim carmina frondibus;
Frondeſque cuſtodes futuri
Ludibrium dedit eſſe ventis;
Injurioſi vah ſceleris pudet!
Errare Muſam perfidus hoſpitam;
In mille partes diſſipatam
Per varios ſinit angiportus;
Majore non ſe crimine polluit
Æza ſolvens littore Colchico,
Cùm fratris artus dividentem
Barbarici ſtupuere fluctus;
Remis adurgens at lacerum pater
Corpus profuſis non ſine fletibus
Collegit, & veram paternâ
Promeruit pietate laudem.

IX.

AD CHRISTUM VICTOREM.

Quis opacam novus horror tenet æthram?
Quid Eoâ refugus Sol latet umbrâ?
Et amicam trepidanti negat orbi dare lucem?
Deus, eheu, Deus altâ trabe pendes:
Venerandum rubus aſper caput ambit;
Tibi circùm laniatos rigat ater cruor artus.
Fera cernens patientem mala natum;
Oculos in mediâ morte natantes,
Veteres corde remittit miſeratus Pater iras.
Tibi nigræ patuerunt loca Lethes.
Tenebroſus venientem tremit Orcus;
Ita mundi domitorem moriendo domuiſti,
Nova lux en redivivi micat ore,
Super alas Aquilonum gradienti
Tibi plaudit, tibi cantat Superorum chorus omnis,
Periture reparator bone gentis,
Patefac exulibus limen Olympi.
Patriam nos repetentes tuâ cælo vehat aura.

X.

AD DIVAM GENOVEFAM.

PRodeas ſummo, Genovefa, cælo;
Auream ſtellis radiata frontem,
Et Pariſinos propiùs reviſe
Candida colles.
Si tuum ſupplex, redeunte Jano,
Limen anguſtis terit uſque portis,
Et coronatas pia turba menſis
Ponit acerras.
Si tuâ Flamen trabeatus æde
Exiens nudo pede ſaxa preſſit,
Cùm triumphali ſpatiata pompâ
Compita luſtras;
Dumque devoto decus ore Myſtes
Namptodorenſis celebrat puellæ,
Prona ſub ſacro poſuere cives
Colla feretro:
Hæc tibi nunc ſint pia facta curæ:
Nunc vicem votis memorem referre
Tempus, & torvâ decorare vinctos
Caſſide crines.

Scande ſublimes animoſa currus;
Et Patris ſummi trifidum rubente
Impias dextrâ domitura gentes
Arripe telum.
Barbaræ circùm coëunt phalanges:
Deſerit nigras Alemannus Arctos:
Auſus Hiſpanis equitare campis
Imminet Anglus.
Inſtitor merces Oriente partas
Deſtinat Francis Batavus ruinis,
Hæc datæ quondam miſero ſalutis
Præmia reddens.
Scabra detergit ferus arma miles;
Cotis affrictu juveneſcit enſis;
Jamque deſueto ſteterunt minaces
Vertice criſtæ.
Diva, quid ceſſas? nec adhuc coruſcos
Nube candenti jacularis ignes?
Oris aut flatu valido Sicambra
Eſſeda vertis?
Eſt tamen quod te potiore voto
Poſtulem, Virgo: precibus Tonantem
Poſce, diſcordes populos beato
Fœdere jungat.
Det bonam cælo remeare pacem,
Æquitas quam mox reducem ſequatur;
Nec Fides abſit retegens ſoluto
Pectora peplo.

Nata ſupremi Pietas Parentis,
Perditos mores hominum refingens
Advolet, noſtris animiſque ſacros
Ventilet æſtus.

~~Illa damnoſo tumidum furore~~
Imbuat ſenſu meliore pectus:
Is gravi preſſum quoque me veterno
Excitet ardor.

Me piget priſcis cruciare mentem
Ampliùs libris, ſtudioque ductum
Antelucanos operariorum
Ferre labores.

Jam petor cælo: quid adhuc doloſæ
Spes diu terris retinent morantem?
Eximar curis, & agente curas
Eximar ævo.

MISCELLANEA.

I.

FUNUS
CLAUDII SALMASII
CONCLAMATIO.

CLaudi, Claudi,
Reſpice, reſpice:
Huc extremum,
Huc, Salmasi,
Lumina flecte.
Nam quis te novus
Intus habet dolor?
Nam quorſum animus
Aufugit tibi?
Num te, Claudi,
Mors gravis occupat?
Túne æterno
Compoſuiſti
Lumina ſomno?
Heu, heu, Socii,
Claudius occidit.

Non audit meas
Ille querelas.
Promite Syria
Balſama pyxide:
Et Salmasi
Tandem extremo
Ungite frigens
Munere corpus.

CONLOCATIO.

TAmetſi properas, Viator, adſta:
Quod ſub veſtibulo hoc jacet cadaver;
Salmasi fuit. Heu vale, Viator,
Noſtram, ſi ſapis, & vicem doleto.

AD LEYDAM URBEM.

O Urbes inter celeberrima Leyda Batavas;
Deſine Phœbeâ ſublimia tempora lauro
Cingere, & auguſtos jam deſine tollere vultus.
Claudius, heu, rerum columenque decuſque tuarum,
Claudius ecce jacet, fato præreptus iniquo.
Hoc ſtante, ingenti tua ſeſe Academia plauſu
Extollens alias inter longè altior ibat.
Occidit is poſtquam, declivem pondere vultum
Mœſta gerens, magnum languet confeſſa dolorem.
Hanc nos præteritis quondam ſuſpeximus annis;

(Et meminiſſe juvat) tanto cùm ſidere læta ;
Doctrinâ illuſtres cultuque referret Athenas.
Quod poſtquam orbatam felici luce reliquit,
Scilicet omnis honos ſtudiorum & gloria ceſſit.

AD MORTEM.

Miniſtra fati, Ditis ignavam ad domum
O quæ colonos trudis impiâ manu,
Et cuncta falce demetis; poſtquam neci
Potuiſti acerbæ Claudium immitis dare;
Quidni ſolutâ funditus totum moves
Compage mundum? Conditus quando nigris
Phœbus tenebris denegat terræ jubar,
Et Luna fratris aureos vultus tegit,
Exanguis hominum pectora invadit timor:
Quippe imminere protinus mundo putant
Commune fatum. Claudius quando eſt truci
Letho peremtus ſeculi lumen ſui,
Quidni hoc tenebras funus inducat graves,
Orbemque totum nocte funeſtâ premat?
Haud triſte lethum deprecor, poſtquam neci
Potuiſti acerbæ Claudium immitis dare.

AD FAMAM.

Diva laudis, & perennis proma condi glo-
riæ,
Diva victrix mortis atræ, Diva victrix temporis,
Ille qui virûm per ora, (Diva, ſic tu juſſeras)

Is per ora qui volabat, magnus ille CLAUDIUS,
Ille quem tu perſonante prædicabas buccinâ,
Morte crudeli peremtus nuper eheu concidit.
Hunc potenter à feroci, Diva, morte vindica.
Hic caducam morte vitam languidamque perdidit:
Huic perennem pro caducâ, Diva, vitam reddito.

AD MANES SALMASII.

SI quis amor rerum poſt triſtia funera reſtat;
Et Manes imâ ſequitur tellure repoſtos,
Pallida quem totis Lethe non eluat undis,
O anima, ô dubiis vitæ defuncta periclis,
Te non ulla quidem cepere oblivia noſtri.
Ex quo etenim me ſors Leydenſibus appulit oris;
Atque tuam potui, SALMASI, tangere dextram,
Et coram blandas audire ac reddere voces;
Scilicet ex illo noſtri pars magna fuiſti,
Ipſe tui nonnulla fui, concordia poſtquam
Pectora junxit amor. Memini me febre pereſum;
Atque iſtic longi perpeſſum incommoda morbi
Jam tumulo quæri: non noſtri ſedula nutrix,
Non noſtri curam ſoror officioſa gerebat.
Continuò tu languentem miſeratus amicum;
Auxilium afflictis rebus non molle tuliſti.
Ergo, SALMASI, quæ nos, dum vita manebat;
Junxit amicitia, hanc etiam poſt funera ſervas.

Me verò quæcunque dehinc fortuna ſequatur ;
Non noſtro illa tuum pellet de pectore nomen.

CONVOCATIO.

Lecti juvenes ;
Atque virorum
Quidquid ubique eſt ;
Quorum ſacro
Pectora Phœbus
Contigit igni :
Eheu Claudius ;
Claudius ille
Jam crudelibus
Occubat umbris.
Huc, huc gemitus ;
Huc ſuſpiria ;
Et languenti
Mittite triſtes
Pectore queſtus :
Huc, huc lacrymas ;
Huc, huc, mœſtos
Uda profundant
Lumina fletus.
Ipſe ego pullo
Tectus amictu,
Spargam tumulum
Manibus plenis,
Et humum pingam

Vernis

Vernis floribus :
Tum funereum
Hoc inſcribam
Carmine ſaxum :

CLAUDITUR HIC PARVA MAGNUS SALMASIUS URNA :
ILLE PRIUS TOTUM SUB PECTORE CLAUSERAT ORBEM.

MONODIA.

POſtquam, SALMASI, felicem in commoda vitam
Publica conſumſti, te Libitina rapit.
Te Libitina rapit, poſtquam te magnus Apollo
Imperium bifidi juſſit habere jugi.
Poſtquam ego ſic actæ traduxero tempora vitæ,
Sit mihi vita gravis, ſit mihi dulce mori.

INHUMATIO.

CLAUDII lotos tibi, ſacra mater
Terra, mandamus cineres in urnâ ;
Terque plangentes poſitum ſupremâ
Voce ciemus.
Tu ſinu, Tellus, foveas benigno
Creditum pignus : levibus favillam
Contegas glebis : placido quieſcant
Oſſa ſepulcro,

CONSECRATIO,

AD POETAS.

VAtes, parcite fletibus.
Cur molles lacrymas, cur gemitus graves;
Aut cur carmina triſtibus
Decantata modis funditis anxii?
Jam nunc ſat lacrymis datum eſt.
Huc, huc, pro lacrymis, purpureas roſas;
Huc plenis manibus date
Pallentes violas, albaque lilia.
Huc plenis date cinnama,
Huc ſtacten foculis, his redolentia
Aris thura profundite.
Divus ſacra ſibi munera Claudius;
Et libamina poſtulat.
Nam non ille quidem Tartareos lacus;
Non hic Elyſium tenet:
Sed poſtquam fragilem corporis exuit
Molem, huic perpetuas domos
In ſummo attribuit Juppiter æthere,
Illi nectareus liquor
Poſthac ora meris proluet hauſtibus,
Quem fundet Phrygius puer;
Et totum liquidis ambroſiæ Venus
Hunc perfundet odoribus,

Formoſæ ſoboles docta Coronidis ;
Mutarum pater artium ,
Fratres Tyndaridæ , & maximus Hercules ;
Illi ſe comites dabunt ,
Quos virtutis amor vexit ad æthera.
O quiſquis ſtudiis vacas ,
Et mentem ingenuis artibus excolis ,
Hic Muſis præerit Deus ,
Intonſo ſocius junctus Apollini.
His jam ſe facilem dabit ,
Illum qui precibus ſupplicibus petent.

IN OBITUM CL. SALMASII

Epigramma , ſtylo Enniano.

Vitaï finem poſtquam eſt Salmaſius aptus ,
Omnis homo mœſtis hunc decorat lacrymis.
Scilicet id faciunt quod poſſunt , ſed queat olli
Ningulu' pro ſcriptis reddere opræpretium.

II.

VOTUM

Pro reditu è Suecia in Galliam.

BOcharti comites, cohors inanis,
Aptis ſarcinulis & expeditis,
Cum bulgâ exiguâ, tribuſque peris,
Non his grandibus atque ponderoſis,
Aſt illis vacuis & expeditis,
Magnis paſſibus Holmiâ relictâ,
Necnon Vandaliâ, Sueciâque,
Gothis, Oſtrogothis, Viſigothiſque,
Atque ipſo Boreâ valere juſſo,
Et quidquid fuit uſpiam Trionum,
Tandem in Celtica paſſibus citatis,
Aptis ſarcinulis & expeditis,
Tandem in Celtica cogitamus arva,
At nos Mercurio Deo viarum,
Cui ſunt compita curæ & angiportus,
Illud concipimus perenne votum,
Iſtas numquam iterum vias ituros,
Si nos incolumes domum remittat,
Salvis ſarcinulis, & integellis.
Hoc nos concipimus perenne votum
Bocharti comites, cohors inanis.

III.

Pſalmi CXXIX Paraphraſis.

Anxia ſollicitis oppreſſus pectora curis,
Auſus ſum timidos ad cælum tollere vultus,
Supplicibuſque, Sator rerum, te pôſcere votis.
Ergo ades, atque pios ne dedignare vocatus;
Sed facili triſtes audi bonus aure querelas.
Si noſtra attento peccata examine pendis,
Et rigido æquatæ reputas libramine lancis:
Ecquis, io, admiſſi manifeſtus criminis, irâ
Cernere flammatos poterit, pater optime, vultus?
Quis feret æternos ignes, & debita culpæ
Supplicia, aut ſævo poterit durare ſub ictu?
Verùm equidem memini ſenſus in corde paternos
Te gerere, & precibus non intractabile pectus;
Confiſuſque illo, quo nos dignaris, amore,
Protinus occultas animi, te judice, labes
Prodere ſuſtinui, nec vanis artibus uſus
Criminibus ſtudui falſos adhibere colores.
Deinde tuas etiam leges dum mente revolvo,
Quas ſacro retulit montis de vertice Moſes,
Adſtrictæ & fidei ſolenni fœdere quondam
Rite memor, cùm me cælum ſperare juberes;
Si quando mœſtâ veniam te voce rogarem,
Me ſubit æternæ ſpes non incerta ſalutis.

Ergo purpureas ex quo de gurgite flammas
Extulerit Titan, donec ſe condat in æquor;
Iſacidûm genus exultans tibi carmina dicat;
Atque ſuas in te, Omnipotens, ſpes collocet uno:
Nam lacrymis ultro miſerorum, & ſupplice fletu
Tangeris, attritiſque affers ſolatia rebus.
Quondam etiam humanos non dedignaberis artus
Induere, Abramidiſque admiſſa piacula fuſo
Sanguine deluere, & meritas avertere pœnas.

IV.

LUDOVICO DELPHINO, ET VICTORIÆ BAVARICÆ,

Carmen nuptiale.

NOctis ô bone ſignifer,
Splendidum radiis caput
Effer omine proſpero.
Quid diù trahitis moras
Lenta ſidera cælo?
Ecce nunc Heliconio
Colle, conjugii dator,
Sanctus Uraniæ puer
Prodit, & volucri levem
Induit pede ſoccum.

Flammeo caput ambiens,
Luteiſque coloribus
Pictus, Aonios ſpecus
Linquit, & celeri gradu
Francicas petit oras.

Arduis Bavarûm jugis
Sidus exoritur novum;
Ponte protinus Abnobæ
Surgit, & trepidus ſacrum
Exerit caput Iſter.

His ter anxius & quater
Implet aëra queſtibus;
Nam quid hæc loca deſeris,
Virgo? Mox validis ferit
Ægra pectora palmis.

Uda Naïadum cohors
Eripi patrium decus
Luget, atque oculis diù
Versùs occiduas plagas
Mœſta ſpectat euntem.

Sedibus ſuperis Deos
Feſtus exhilarat dies,
Siderum ſaliunt tholo,
Ut queant genialibus
Intereſſe choreis.

Lapſa culmine Theſpiæ
Cuſpides vibrat aureas,
Flammeaſque quatit faces

Ignibus rutilans novis
Turba præpes Amorum.
Se per æthera lampadum
Ordo fulgidus explicat:
Clara nox ſuperat diem,
Et cupidineo micans
Arva lumine luſtrat.
Jamque vecta curulibus
Nympha, delicium poli,
Tranat aëra nubibus:
Pallidus Thetidis ſinu
Phœbus abditur imo.
Serta crinibus implicans
Ponè progreditur cohors
Virginum modulantium
Blanda carmina vocibus,
Fiſtuliſque ſonoris.
Dum ſibi tacitâ prece
Unaquæque Deos rogat
Par citò veniat dies,
Et viri cadat in manum
Lege juncta maritâ.
Ocyùs juvenum procax
Agmen exiliens venit;
Virginumque pedes premens
Ore verba licentiùs
Nuptialia fundit.
Virginem bona Gallia

Liliis decorans caput
Limites vocat in ſuos ;
Pronus & vada Sequana
Subjicit venienti.

Virgo adeſt ; niveo pede
Francicos ſuper aggeres
Fertur, & timidis tamen
Greſſibus cupidum petit
Lenta nupta maritum.

Martio ſimul inſonat
Ære Verſalium nemus.
Inde vertice Marlio
Pulſa tympana perſtrepunt ;
Increpantque morantem.

Rure Meudonio vagi
Emicant ovium greges,
Paſtor aëra cantibus
Mulcet : huic bifori ſono
Tibiæ admodulantur.

Hanc vir in Tyrio toro
Accubans procul ut videt,
Vota Dîs pia nuncupat,
Molle ſenſibus intimis
Cor amore revinctus.

Hùc ades ; properos move ;
Inquit, ô mea lux, gradus.
Longa quid trahis otia ?
Enecas cupidum tui.
Cur diù remorare ?

Dum loquor, thalami fores
Virgo candida jam ſubit,
Ore purpureo nitens,
Qualis ante Parin Venus
Vallibus ſtetit Idæ.
Os pudicitiæ comes
Tingit ingenuus rubor;
Nupta lumina dejicit,
Limini & refugos pedes
Sera conjugis infert.
Pandite oſtia, Virgines;
Jam roſis, & amaraco
Miſta jungite lilia,
Myrrheoſque puellulæ
Nidor afflet odores.
Brachium manibus tenens
Pronubus pavidæ puer
Dicta dulcia proferat;
Siſtat & dominam viro
Conjugator amanti.
Cura ſit pia matribus
Collocare puellulam,
Picta zonula dum cadat:
Ne velit fugiens toro
Secubare jugali.
Antequam decimam rotis
Luna triverit orbitam,
Matris ex utero ſimul

Delphis exierit, bonâ
Spe replebitur orbis.
Mox ut hic adoleverit,
Et comam galeâ premet:
Arva Thracia protinùs
Tinget Othomanus cruor,
Boſporique fluenta.
Conde Cyaneis vadis,
Turca, coniferum caput.
Tauricos tua gens ſinus,
Littora & patriâ procul
Quærat ultima Ponti.
Donec inclyta præferens
Signa Chriſtiferæ Crucis
Gentium domitrix Sion,
Francici auſpiciis ducis,
Sacra jura det orbi.

ΠΕΡΙ ΥΗΤΟΥ μελλοθανάτου.

Φοῖβος ἐρωτηθεὶς, ὀλιγηπελέοντος Ὑήτου,
   Τί κλυτὸς ἰητὴρ ϗ πολυφάρμακος ὢν
Ἄνδρα θανεῖν, πρέσβεως περ, ἐᾷ, γλυκύφωνον ἀοιδὸν;
   Ὅτι με νίκησεν τοῖς ἐπέεσσιν, ἔφη.

BERN. MONETA.

CL. FR.
FRAGUERII
CARMINA.

Neque ſemper recreabit medicâ Borbonis undâ,
Bona firmas labefacto dare vires :
Neque Parcas poterit vincere Thea,
Leve filum remorato celeres rumpere fuſo.
Fera ſacro capiti parcite fata.
Neque languor premat unquam, neque morbus.
Miſerum me ! ſpoliato quis eum redderet orbi,
Penetrantem nitidæ lumine mentis
Modo Graios, modò libros Arabum, aut
Excutientem Solymeæ penitus myſtica linguæ ?
Heliconî lacrymatur Dea fontis.
Sacra mœrent viduati juga Pindi.
Jacet, eheu ! jacet olim Veterum ſplendida cura.
Miſera ætas meliores premit ; & quod
Per honeſtas imitari nequit artes,
Odioſum mala limat petulanti decus ore,
Joca nectunt teneris frivola verbis
Sine Phœbo : ſtudioſi ſibi magnum
Magis inter muliebres cathedras quærere nomen,
Tamen ultrò ſibi plaudunt. ſuus ollis
Placet error, neque patres imitantur.
Neque famam venientis rude ſeclum timet ævi.
Erat unus Phrygiæ maximus Hector
Mora cladis : neque Trojæ cecidit ſpes ;
Niſi poſtquam miſerando malè cautus ruit ictu.
Ita Pindi columen nobile reſtas
Super unus ; neque, Hueti, decus altum, aut
Trepidi

Trepidi ſpes bona Pindi, niſi tecum, cadet omnis.
Velut aſtrum per opacas nitet umbras,
Tua floret ſterili gloria ſeclo.
Inimico Dea Pallas fugeret cùm procul orbe;
Tibi cunctas abiens credidit artes.
Juvet ergo, faciles inter amicos,
Aliquando reſolutis animum abducere curis.
Rogat hoc te Cadomeæ decus urbis:
Academi rogat hortus: rogat aula,
Ubi magnum tibi nomen juvenis regius addit.
At ubi te revocatum tua Tempe
In amœno refovent alma receſſu,
Ibi paullùm cape tandem poſitis otia libris.
Lavit omnem levis Udo tibi ripam.
Tibi ridet variati color agri.
In opaco recreandum Satyrus te manet antro;
Tibi blandus calamo dulcè frementi
Dare ſomnos, ad amatæ caput undæ;
Ubi carmen modulando digitis molle figurat.
Quate lauros. Redimitam preme, Clio,
Mihi frontem. Ferar ingens. Lyra feſſum
Mea, fallor? mea magni recreat pectus HUETI.
Ea ſaltem tenui combibat aure
Rogo vates, prope fractus relegendo
Iter aſprum Venuſini malè firmo pede vatis.

Anno M. DC. LXXXIX.

II.

AD CAROLUM PERALTUM,

Veterum contemptorem.

VOvi Dîs ſuperis tuas, Peralte,
Quòd ſunt illepidæ atque inelegantes,
Sacris ignibus uſtulare chartas,
Ni te flagitii tui puderet.
Quare, ſi ſapias, refige dictum.
Omittas veteres calumniari;
Lauda Virgiliumque, Tulliumque;
Lauda delicias meas Catullum.
Noli reſpuere Atticos lepores.
Homerus tibi ſit bonus poëta;
Sit Plato ſapiens, venuſtus idem
Spargat mille ſales; Anacreonque
Dicatur pater elegantiarum.
Id ſi feceris, ut decet, remittam
Illos, quos modò comminabar, ignes;
Nec ultra Superis ero obligatus.
Res eſt ardua: quis negat? ſed iſto
Vitabis pretio uſtulationem.
Verùm, ne videar nimis ſeverus,
Namque gens facilis ſumus poëtæ,
Concedo veniam tibi libenter,
Excuſes modò putidum libellum

Iſtum ; cui meritos paramus ignes.
Dic te non animo malo invidoque
Te tam difficili implicaſſe bello ;
Sed feciſſe mala iſta , neſcientem
Quod crimen faceres , & ut volares
Vivus inſtabilis per ora vulgi.
Dic te non ſatis eſſe literatum ,
Ut Græcos legere , & notare poſſis
Quis puris lepor inſit in poëtis ,
Quæ vis grandibus inſit in poëtis.
Id ſi feceris , ut decet , remittam
Illos , quos modò comminabar , ignes ;
Nec ultra Superis ero obligatus.
 Fateri pudet , inquies. Bonum ſit.
Factum non pudet , & pudet fateri.
Da librum properè , puer. Venite
Secli quiſquiliæ , venite in ignem ,
Ut vovi Superis , inuſta labes
Noſtro ne maneat perennis ævo.

III.
AD EUNDEM.

E Gallico Nic. Bolæi.

AIn' , Peralte , me gravi eripuit malo
Tuus iſte frater nobilis veneficus ,
Fuiſſe medicum nempe quem narras meum ?
Omitte : nam quòd vivo , ſat refelleris.

VII.

OLOR ET ANSERES.

Fabula.

AD DOMINICUM BUHURSIUM, Soc. Jesu.

Sacris tantiſper abſtine à laboribus,
Et huc oculos, Buhurſi, deflectas velim.
Erit fortaſſe nonnihil quòd rideas,
Et hilarè primam tranſigas anni diem.
Eſt in Cayſtri litore Anſerum genus
Procax, malignum, triſte, clamoſum, inſolens;
Solitum nocere candidis Oloribus.
Odium ridicula nutrit æmulatio.
Urit decorus nempe Cycnorum nitor,
Urit ſuave carmen: quale gaudeat
Aonia temperare Muſarum cohors.
Hoc unus odium maximè promeruerat,
Quòd magnos liquidâ voce mulceret deos:
Formoſior quàm, ſidus qui polo additum,
Olor cæleſtem propter effulget lyram.
Hinc ira, ſtrepitus, & Anſerum protervitas
Cohiberi neſcia. Contrà negligens Olor,
Pariterque turpe vincere aut vinci æſtimans,
Ulciſci gaudet nobili patientiâ.

Ergo quem juſtâ poſſe deſperant viâ
Saltem abſtinere conſuetis cantibus,
Malâ cœperunt arte nequicquam aggredi.
Nam, quà lutoſo deficit flumen vado,
Glebâm & tenacem, flaccidaſque arundines
Lacuna putri livida enutrit ſolo,
Huc ſe voluti per caput ac pedes agunt;
Lentâque corpus ulvâ certatim inquinant.
At delicatis cantibus indulgens Olor
Non otioſum condere aſſuetus diem,
Longi laboris dulcem capiebat moram;
Cùm fœda ſubitò turba nec opino ingruit;
Et, quo madebant ipſi, contingunt luto.
Miſceri pennæ, paullùm fuſcari nitor,
Gratum malignis Anſeribus ſpectaculum.
Mòx diſſipati nunciant volucribus
Formoſum Olorem, fama quem jactaverat;
Hebetaſſet qui candore Sithonias nives,
Plumarum perdidiſſe purpureum decus.
Neque illud una ratio narrandi fuit.
Nam quos agebat cautior malignitas,
Loquuntur ſolito mitiùs, & Cycni grave
Dolere ſe ſe fingunt infortunium,
Quod vix, probatum quamvis, obtineat fidem;
Alii feroces clamitare validiùs,
Non illum lymphis innatare liberis,
Silere turpem, ſociis inviſum ac ſibi;
Et ignominiam triſti celantem fugâ.

Se ſe vidiſſe fugeret cùm notos lacus?
Accedant ipſæ, quodque nolint credere
Oculis uſurpent, atque mittant obloqui.
Quid multa? paucis creditum: cunctis placet.
Juvat ergo ad amnem protinus deſcendere.
Vix dum decorum Titan extulerat jubar,
Et curioſæ litora complerant aves,
Tam roſtro & cantu variæ, quàm coloribus.
Veniunt Cuculli nemoris antiqui accolæ,
Pigerque Bubo, quem Columbæ miſerant
Aſſuetum eiſdem tectis & cubilibus.
Striges, & omnis Noctuarum natio
Excita tenebris lumen exoſum hauriunt.
Hirundo, Corvus, Pica turmatim advolant;
Adſunt Palumbes, ſive qui denſis pedem
Plumis amictum, ſeu qui nudatum gerunt.
Cornixque, collo geſtans torquem candidum;
Perambulabat litus acutùm perſtrepens.
Quarum Anſer medios ſe dabat per ordines,
Fraudes vetuſtas aſſerens, fingens novas:
Cùm procul Olorem placidè labentem vident;
Fruſtra depictum non ſuis coloribus.
Silentium faciebat expectatio.
Ibat canore liquido & formâ potens,
Ac molliter flectebat aureum melos;
Vaſto excepêre volucres venientem ſono.
At ille turbas, & clamorem inconditum,
Et in ſe fixos obtutus inhiantium,

Primò

Primò admirari, ſeque reſpicere incipit.
Mox in lympharum ſpeculo ſe videns Olor
Obſtupuit, agnovitque malitiam Anſerum.
Et inquit, Non eſt hic meus, non eſt color.
Habeatis illum, qui feciſtis, Anſeres.
Humeriſque leni rore luſtratis fremens,
Nullo labore, quod erat alienum, abjicit.
Sic ut detecta eſt Anſerum calumnia,
Puduit ſtuporis creduli attonitas aves,
Et fraus iniqua vertit in auctores ſuos.

VIII.

AD SOMNUM.

BEnigne Somne, delicate Somnule;
Levaſſe blandus anxiam ægritudinem;
Modis tuliſſe gratias iambicis
Tibi poëta deditus pares velim,
Suſurrus ut nec ipſe ſibilo levi
Levem crepante ſuſcitet moleſtiam.

IX.

CULEX ET LEO;

Fabula.

Ad Ludovicum Cognatum;

Cùm ille Dominici Buburſii admodùm ſenis librum carpſiſſet in Diario, ut vocant, Eruditorum.

Triſti jacebat morte conſumptus Leo :
Feræque circùm gemitus ac planctum dabant.
Tum vaſtus agris mœror, & ſilentium;
Clamore ni turbetur ac ſingultibus.
Cùm de vicino ſeſe proripiens fimo,
Supra cadaver petulans inſedit Culex;
Roſtroque lancinavit exanimum caput.
Mox inter armos volitans ac feri jubas;
Tinnitu cepit inſonare ſtridulo,
Sibi mirificè plaudens. At juvenis Leo
Stultam indignatus Culicis impudentiam;
Procacem impreſſo beſtiam eliſit pede.
Cognate, hæc illos admonet narratio;
Qui quos viventes non auſint laceſſere,
Verbis malignis inſectantur mortuos.

X.

CULICIS NUPTIÆ.

Ad eundem.

CUlex cùm vellet procreare liberos;
Uxorem accepit Muſcam vicino in cavo;
Quæ dulcem optatâ prole ditaret domum.
At, ne proterva natio nimis creſceret,
Homineſque miſeros triſte vexaret malum,
A Culice Cypris vim generandi ſuſtulit.
Pater inficeti, quem nemo legit, libri,
Cognatus audis, ſeu libentiùs *Culex*,
Quid hæc velit fabella, multi intelligunt:
Qui neſciunt docebo, ſi garriveris.

XI.

CULEX APUM IMITATOR.

In eundem.

APes imitari vilis optavit Culex;
Sive hæc invidia, ſeu fuit æmulatio;
Ceramque voluit fingere, ac dulces favos.
Ergo alacer, atque mira promittens ſibi,
Ab apibus alveare deſertum occupat,
Ubi quidquid variis exprimit de floribus,

Stipat labore multo, verùm inutili.
Nam cùm feciſſe mella ſeſe crederet,
Fecit venenum. Tunc una ex apibus ait:
  Quibus natura tribuit ingenium malum,
Fruſtra laborant, & corrumpunt omnia.

XII.

CULEX ET DIANA.

Ad eundem.

Diana venabatur Hyblæo in jugo;
Quam ſtultus oſculari cùm vellet Culex,
Acceſſit impudenter, ac proboſcidem
Infixit ori. Vulnus inſequitur dolor,
Tumorque delicatam deformat cutem.
Dea, ut puniret Culicis audacem impetum;
Quem ſtolidum potiùs quàm protervum dixerim;
Ait: Scelеſte baſiator numinum,
Abi in fimetis inſidere olentibus,
Interque muſcas & crabrones vivere.
  Hoc ſpectat illos, nec tu, Cognate, abnues;
Qui dum conantur merito laudes reddere,
Gravi diſtringunt interim calumniâ.

XIII.

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO.

ODE.

QUis me trans gelidas vehat
Alpes, quà nitidum Roma potens caput
Celſis nubibus inſerit?
At non Romuleis mœnibus additos
Montes, non Capitolium
Fulgens, aut veteris ſigna ſuperbiæ;
Optem viſere Porticus,
Thermas, atque Theatra, & Mareoticis
Raptas Pyramides jugis:
Non Divûm ſtatuas vaſta per atria
Aut hortis in olentibus
Latè conſpicuas: non variis domos
Plenas deliciis: neque
Si quid fornicibus pinxit in arduis
Audaci Raphaël manu,
Vel ſera Annibalis cura Caraccii:
Sed te, MAXIME PONTIFEX,
Dignum ſede tuâ; dum meritis refers

Idem & ſorte vicariâ
Chriſtum. Jam videor tergemino capui
Præcinctum diademate
Mirari, pedibuſque oſcula figere;
Dulci non ſine gaudio.
Jam pulſare fides, & Latiâ tuas
Laudes dicere barbito,
Ut vivum ingenii robur, ut emicat
Formæ non humilis decor;
Quem nec longa dies, nec labor atterit
Ingens. Moribus integris
Merces præteritæ magna puertiæ:
Sit qui regificas opes
Ingratis properet condere poſteris;
Demens: hic meritum ſupra
Cognatos variis tollat honoribus:
Te non ambitio impotens,
Vivaxque in ſenibus divitiarum amor;
Recti tramite devium
Abduxere. Juvat prima merentibus
Ultro munera tradere,
Virtutis pretio ſcilicet impigræ, &
Longis empta laboribus,
Non fulvâ dominæ mole pecuniæ;
Præter littora Boſphori
Fugit pauperies finibus Italis;
Turpis quam ſequitur Fames,
Dirarumque cohors lurida Febrium;

Venaliſque Protervitas,
Et frænum indocilis ferre Licentia.
Succeſſit Pudor, & Fides,
Et cultu gradiens ſimplice Caſtitas.
Terror prætereuntium
Non currunt inopes arva per & vias;
Incultâve jacent humi
Deformes macie. Munere nam tuo
Sedes non ſibi conditas
Gens pannoſa colunt. Grandia lubrico
Surgunt atria marmore,
Nuper Pontificum, nunc Inopum domus.
Errant ædibus arduis,
Ærataſque trabes, & laquearia
Gaudent pro lare ſordido
Spectare attoniti; ſtratáque cedrina
Inſueto pede proterunt.
Illos alloquio blandus amabili
Mulces, ut pueros parens,
Orantumque preces commodus accipis;
Iſto munere clarior,
Quàm cùm de ſolio ſplendidus aureo,
Mundi maximus arbiter
Terrarum dominos, inclyta nomina,
Sanctos reſpicis ad pedes
Pronum ſuppliciter ponere verticem.
Petri, te duce, labitur
Tuto cymba mari. Nec ſcopulos times;

Nec ſævi rabiem Noti,
Aut quæ ſollicitos æquore fervido
Fallunt ſidera navitas.
Talem te facili numine deſtinat
Nobis jam melior Deus
Fortunata bonum ſæcla reducere.
Nam quo purpureum die
Patrum concilium te viduo gregi
Paſtorem dedit, & manu
Aris impoſuit Pontificem ſacris:
Urbi deſuper adſtitit
Delapſus liquido Chriſtus ab æthere;
Pulchro ſidere pulchrior.
Fulgent ingenuis agmina nubium
Circùm picta coloribus,
Diſcurruntque leves Aligerûm chori.
Ter clarum intonuit polus,
Ter flammæ trepidant rumpere vivido
Vaſtos fulgure vortices.
Illuc ad ſonitum lumina ſuſtulit
Orbis. Mox adamantinas
Per purum celeri promptior Africo
Claves detulit Aliger;
Poſſes ut ſuperis gratus & infimis
Cæli templa recludere.
Dixitque ingeminans: Currite candida
Puris tempora ſolibus;
Cunctis illa quidem gentibus, at magis

Forti proſpera Galliæ.
Illic tota novis adſpicio Inſulis *
Exultare per oppida
Felices populos. Adſpicio ſuis
Lætos cum ducibus greges,
Aut in florigeris ludere paſcuis;
Aut umbras nemorum ſequi.
Silvæ Pontificis laudibus aſſonant:
Plaudit Sequana Tybridi,
Plaudit magna meæ Roma Luteciæ;
Quid mirum? Proceres ubi
Pacem conſiliis mitibus adjuvant,
Et curis facilem & prece
Placant Pontificem Francigenæ duo †,
Sacræ lumina Purpuræ,
Clari, Sarmaticis ille negociis;
Hic rebus Luſitaniæ
Magno compoſitis Chriſtiadum bono:
Salve Romulidum ſalus,
Salve præcipuo terrigenis date
Chriſti munere Pontifex.
Chriſtus, ſi precibus rite popoſceris;

* Eo anno 1693, miſſæ ſunt Româ conſecrandis Antiſtibus neceſſariæ ex veteri pacto literæ, quas Innocentius XI. jam ab anno 1681, Alexanderque VIII nullas dederant.

† Compoſitæ ſunt lites, & redintegrata Curiam inter Romanam atque Francicam concordia, agentibus Eſtræo & Janſonio Cardinal.

(Et poſces ; quid enim, Pater,
Auguſto faceres nomine dignius ?)
Pacem regibus annuet,
Qui nunc bella movent, & miſeram undique
Europam quatiunt metu.
Enſes, Chriſtiadæ, pacificum genus ;
Enſes ponite, ponite
Concordes animis. Funeribus ſatis
Et belli furiis datum eſt.
Per terras pelaguſque horribili modo
Sævitum. Quis adhuc locus
Dirâ cæde vacat ? quæ plaga non graves
Iras Chriſtiadum audiit,
Et fœdata ſuis arma cruoribus ?
Tandem jungite dexteras,
Et ſancite novis fœdera legibus ;
Id neglecta petit Fides,
Deſertiſque diu Relligio ingemens
Aris. Auguror. Accidet.
Noſtro reſtitues ocia ſæculo ;
Votis elicere efficax
Tranquillo poſitam numinis in ſinu
Pacem longiùs exulem,
Et damna egregiâ vincere adoreâ.
Sed quò me furor abripit,
Cantantem in patrii littore Sequanæ ;
Quod, quandoque velit Deus,
Tyrrhenâ meliùs concinerem tubâ ;

Molli graminis in toro,
Flavæ Tybris aquæ quà nemus impiger
Geſtit lambere citreum?
Hanc nobis utinam quadrijugo diem
Curru Phoſphorus advehat!
De ſeptem aëriis Romula montibus
Latè carmina dividet
Echo per populos. Audiet ultima
Tellus fertilis Africæ,
Et tardis regio pigra Trionibus;
Horrens & mare Balticum,
Sereſque & Japones: ac docilem dabit
Aurem decolor India,
Chriſti colla jugo ſubdere mitior.

XIV.

TUMULUS.

PRæclarum hunc bello juvenem, morumque lepore,
Exuit humanis mors inopina bonis.
[illegible] fruitur meliora. Pio date ſerta ſepulcro;
Et, Fuit hic magnis, dicite, dignus avis.

XV.

AD NIC. REMUNDUM.

VEnuſte Iambe, qui mero pede ambulas;
Adire te ſtatim Attici lares mei,
Et, ille ſi calente ceſſat in toro,
Bene auſpicata verba proferas velim.
Bonam, Remunde, nunciat tibi diem
Poëta qui biformis eſſe dicitur.
Fuit fluente veſte ſcilicet niger,
Magiſter execrantis & timor ſcholæ;
Abominata quippe cornua erigens,
Et inſolente ſceptra continens manu.
Sed hæc fuêre. Nunc beatus & bonus
Calet prope ignem, & otioſa dividit
Sedens jociſque ſeriiſque tempora.
Et is jubet manere cum penatibus
Tuis, quiete tranſigens diem horridam;
Et hoc Venus jocoſa cum Cupidine,
Et hoc amica præcipit Leontium.
Vale, Remunde. Mox ubi remiſerit
Ruentis undequaque flaminis furor,
Perambulabis eſſedo Luteciam,
Viaſque metieris ex libidine.

Prid. Non. Febr. M. DC. XCV.

XVI.

AD EUNDEM.

Ruris deſiderium.

UMbroſi ſaltus, & mollibus humida rivis
Prata, domum exiguam congeſtaque ceſpite tecta
Circumdant, agniſque ferunt paſcentibus herbam.
Hîc recubans denſâ platani, Remunde, ſub umbrâ,
Dulces tecum epulas hyberno ſole requiram.
Si non gelſeminum tellus æſtiva coronis,
Nec violas, apiumve, aut purpureos hyacinthos;
At myrtus, lauruſque ſuos præbebit honores,
Illa magis Veneri quoniam placet, altera Phœbo.
Tum Phœbum Veneremque canemus, & Arcades ambo
Dicemur Satyris, qui poſt carecta latentes
Attentam noſtris intendent cantibus aurem.
Agno tota tibi conſtabit cœna, vel hædo.
Mox è vimineo deſcendet caſeus orbe;
Pomaque de nitidâ quærentur mitia cellâ.
Ipſa favum veteris conjux annoſa coloni
Afferet; ipſa merum & puros à fonte liquores
Infundet cyathis, ac verba faventia dicet.
Nos autem, quibus aſſiduè depaſta Lycæum
Mens animum ſtudiis & veri torquet amore,
Mittemus curas, verique ſagacis amorem.

XVII.

AD EUNDEM.

VIII. Id. Decemb. M. DC. XCVI.

DUc me per nitidos, Thalia, ſaltus;
Si quà vel medio parit Decembri
Flores mite ſolum, ut mei ſodalis
Caput floribus impedire poſſim.
Atque hoc muneris eſt mei. Sed ipſa;
Illum carmine leniens jocoſo,
Importunum abiges benigna morbum;
Quo pectus tenerum anxiè laborat.
Id, ſpero, facies. Nihil precamur
Ut mentem injicias bonam, aut ſalubre
Dones conſilium: is ſibi paravit.
Nam, quò uni tibi, Diva, ſanitatem
Acceptam referat, nec advocavit
Illos, qui medici cluunt per urbem;
Nec ſalubribus, ut putant, venenis,
Miſſo ſanguine, corpus inquinavit;
Unam ſed patiens petit Thaliam,
Uni ſupplicat. Huc ades venuſta:
Hîc illum invenies, ubi Platonis
Signum marmoreum angulo reſedit
Concinnè poſitum. Haud procul videbis

Riſum Socratis ac dicacitatem
Expreſſam lepidè, & ſeveriorem
Pellæi juvenis ſenem magiſtrum.
Hos inter tibi cymbio Remundus;
Quod illi Charites deæ dederunt,
Sparget non Bromii ebrium liquorem;
Sed de Caſtaliis aquam ſcatebris.
Quem tu carmine ſi ſemel jacentem
Excitaveris; is ſtatim valebit.
Ac te tum facili manu prehenſam
Ducet in numerum. Eſt enim peritus
Non horum modò, quos vides, librorum;
At motu levis ad lyram decoro
Veſtris inſeruit pedem choreis.

XVIII.

AD EUNDEM.

NI te plus oculis amem & medullis;
Vita non mihi vita ſit, ſed orci
Fumus, ac tenebræ, & ſitus: ſed illud
Non eſt; at bona lux, lepor, venuſque;
Nam te plus oculis amo & medullis.

XIX.

AD MORPHEUM.

MOrpheu, Diei ac Noctis ambroſium genus,
Somnum redona delicatis artubus
Mei Remundi; cui fovens pennis caput
Pectuſque, tuſſim comprime & gravedinem.
Hæc vita, ſole quam nitente ducimus,
Hæc vita mors eſt. Una mortales juvat,
Quam tu reducis, vita: nec curas habet;
Nec illa morbos. Abſtine à nefariis
Illis, per urbem qui malas interdiu
Impune lites, aut malos mores ſerunt;
Inimica pacis monſtra. Mox ubi jubar
Phœbi receſſit, in tuo recubant ſinu.
Hos abige, Morpheu, vel novis crucia modis.
At hunc, dies qui tranſigit ſanctiſſimè,
Doctos libellos mane per totum legens,
Dehinc amicum viſitans ſub veſperam,
Hunc tu procura. Hunc melleo papaverum
Liquore tinge ſic, ut in ſomno malum
Deponat omne; cúmque ſol adfulſerit,
Tibi cum Thaliâ mobilem ducat chorum.

XX.

XX.

AD CYNTHIAM;

Quæ, perſonata, ſtrigis figuram veſtitu ſuo adumbrabat.

AMor paſtorem ſimulans habitu ruſtico
Argutam in caveâ fortè portabat ſtrigem;
Oris decore nitido ac pennis nobilem.
Cùm præteriret tacitus, Heus, inquam, puer;
Quanti formoſam vendere exoptas avem?
Reſpondet ille: Vendere nec illam placet;
Nec, ut placeret, te ſatis ditem arbitror
Ut emere poſſis. At ſi tradas te mihi,
Et ſervitutem liberalem ſervias,
Habebis illam pretium diligentiæ.
Atqui tuus ſum, dixi. Riſit, & ſtatim
Avem cum caveâ manibus impoſuit meis.
Et, Meus es, inquit. Tum, ſe confeſſus Deum;
Qui pariter homines, pariter ſubmittit Deos,
Me telis petere cœpit, ac tædâ urere,
Sic ut præ tantis vivere vix poſſim malis.
At tu, venuſta volucris, hinc intelliges
Tibi quo deinceps eſſe debeam in loco,
Mihi quæ fuiſti memetipſo carior.

XXI.

NICOLAO REMUNDO;

Parlamenti Conſiliario, S.

ADhortatus es me ſæpius, V. I. ut amicum noſtrum è gravi morbo recreatum latino carmine compellarem. Quod item à me meus in illum amor flagitabat. Feci igitur ut potui, ne deſiderio tuo, ne voluntati meæ deeſſem, & hoc qualecumque carminis eſt ante pauculos dies effudi potiùs quàm limavi. Fugio enim laborem, eum præſertim qui in locandis componendiſque verbis ut teſſerulis poſitus eſt. Adde quod non ignoras me longè alio ſtudiorum genere horrido illo atque inculto detineri. Sed nihil ad rem. Verſuum enim, ſi mali ſunt, ſtulta excuſatio eſt. Atque hoc totum tollíne an relinqui debeat, judicium tuum eſto. Mihi perinde eſt, dummodo vobis perſuaſum ſit nihil eſſe quod veſtri causâ non ſim facturus, qui verſus fecerim. Vale.

IV. KAL. Feb. CIↃ. IↃCCI.

AD NICOLAUM BOLÆUM,

è gravi morbo recreatum.

SOla ſuburbani ruris te detinet umbra
Aſſiduè, ſacrumque nemus fonteſque morantur
Laxantem curas, & carmina docta canentem,
Non ſecus ac vitreas Permeſſi Phœbus ad undas
Errat, & attentos cantu demulcet olores.
Dicite quis vatis veſtri Deus otia rupit,
Aonides, morboque virum violavit acerbo,
Invidia erectis frontem vallata colubris.
Senſit enim pulchro vatem indulgere labori;
Dum toties laudata refingit carmina limâ
Impiger, & libro diverſa recolligit uno,
Unde per ora virûm magnâ cum laude feratur.
Senſit opus prodire novum, quod livida fruſtra
Mordeat; & meminit Muſis irriſa, quòd hujus
Nuper ubi extremis operum defigere dentem
Quæreret, offendit ſolido, & rabioſa receſſit.
His ſuper infrendens, mediis è faucibus Orci
Tartaream excivit febrem, quam lurida flamma,
Lurida flamma, nigriſque agitant inſomnia monſtris;
Si poſſet duro famam prævertere leto.
Illa tibi accenſas igni depaſta medullas,

Quàm propè te eripuit nobis, divine poëta!
Tecum artes ipſaſque involvens funere Muſas
Impia, quas lacrymas, quæ non ſuſpiria movit!
Ipſa etiam in tenebris, & amictu noctis opacæ,
(Horreſco referens) Orci longæva ſacerdos
Mors aderat, diraſque manus falcemque parabat:
Nequicquam: neque enim in tanto diſcrimine vitæ
Deſerit illuſtres Phœbi tutela poëtas.
Ille quidem purâ juvenis deſcendit ab æthrâ,
Nube vehens, habilique comâ conſpectus & auro,
Et laurum & citharam lævâ complexus eburnam;
Iſque ubi vicinâ mortem reſpexit in umbrâ:
Non hîc ulla tuis devota eſt victima ſacris,
Aſpera mors, nec te, noſtro ſine numine, Divûm
Fata ſinunt ſanctos Erebo mactare poëtas.
Nam quià ſupremo vitas ex æthere ducunt
Naſcentes, vivâque animati pectora flammâ
Divinum accipiunt ipſo de fonte furorem;
Idcirco noſtrum eſt arctis exſolvere nodis
Puram animam, & caſtis illimem reddere lucis;
Ille igitur, fati legem quandoque ſubibit,
Non cadet obſcœnæ pulſatus verbere falcis:
Ipſe adero, ſolvamque manu mortalia vincla;
Ipſe legam magnæ cæleſtia ſemina mentis.
Me duce tunc, Erebo procul, & trans raucà fluenta,
Ibit in Elyſium, quà mollidus humida rivis
Arva tenent umbræ, & ſpatiis felicibus errant;

Umbræ nobilium vatum, quos Græcia magnis
Dives terra viris, quos Itala terra creavit:
Aſcræuſque ſenex, & Divûm interpres Homerus;
Pindarus, Auſoniæque decus Maro; quíque dicaci
Perverſos hominum diſtringunt carmine mores;
Quíque theatrali ſuram vinxere cothurno;
Clari omnes, totâque umbrati tempora lauro:
Queis ultro comitem ſe ſe Racinius addit
Laude recens, primo veterum neque cedit honori.

Atque illi æternæ poſiti ſub tegmine palmæ,
(Sive lyrâ carmen, ſolâ ſeu voce ciebunt,
Dum lyra vicinis pendebit plurima ramis)
Aſſurgent venienti, & primâ in ſede reponent
Lumen Caſtaliæ defenſoremque coronæ.

Tum ſi quis pro laude virûm, quos ultima mundi
Sæcla ferunt, vel quos jampridem exacta tulere,
Diverſas partes, contrariaque arma ſecutus,
Claruit ingenio pollens & divite venâ,
Mortalis dum vita fuit, dum jurgia fervent;
Illius arbitrio componet nobile bellum,
Atque aget æternam tanto ſub judice pacem.
Si quis erit tamen interea, qui lædat Homerum;
Aut alios quorum noſtro ſub numine fama eſt,
Illum ſilva teget longis horrenda cupreſſis,
Cum ſtrigibus, corviſque, & rauciſono comitatu
Obſcœnarum avium, & ſolâ ſub nocte volantum.
Dî meliùs. Nunc vive animo gratiſſime noſtro;
Vive diu, vates, doctiſque laboribus inſta.

Olim erit ut claræ diſtinguas murmure famæ
Sæclum iſtud, neque tot poſthac labentibus annis;
Ulla tuæ veniet ſeſe quæ conferat ætas.
Hæc ait, increpuitque lyrâ: quo protinus omnes
Attonitæ peſtes, & mors invita refugit.
Ipſe polum redit exſultans, atque æthere toto
Aurea purpureâ collucet ſemita flammâ.

XXII.

AD NIC. REMUNDUM.

VIII. Id. Decemb. M. DCC. IV.

SUnt mihi ſecreto flores in Adonidis horto;
Sunt mihi vel medio frigore veris opes.
Veris opes nitidi, Charitum lætiſſima meſſis;
Unde ſibi molles implicuêre comas.
Hinc decerpta tibi mitto fragrantia ſerta,
Devotum Genio munus, amice, tuo.
Cujus ut æternos hodie celebramus honores;
Et damus ornatis annua thura focis,
Sic placidus, quæcumque voles, quæcumque parabis,
Proſperet, ac ſanctum ſe probet eſſe Larem;

XXIII.

AD EUNDEM.

FEſtis ancipitis Dei Kalendis
Hoc à me capias, Remunde, munus
Dignum temporibus Numæ; neque illud
Spernas, ut faciunt beatiores,
Quòd ſit de facili luto paratum.
Gemmis omnibus & micante cælo
Terra eſt nobiliorque puriorque,
Ex quâ nos homines potente dextrâ
Formavit Deus in ſui figuram.
Nam ſi ſordida res fuiſſet, illi
Non cæleſtem animam intus indidiſſet;
Quâ dulces animæ modos amici,
Veri ſcribimus indices amoris.
Quare ne pigeat minuta dona
Noſtra mollibus admovere labris.
Eſt hæc tibia, quam decens alumnus
Magni Socratis unicam probaſſet.
Hac duces capiti utilem vaporem;
Hac Menti placidus Bonæ litabis,
Herbâ cum facies Nicotianâ.
Tum ſanas tibi cogitationes
Diva pro modico benigna fumo
Multas injiciet, quibus valentem
Poſſis degere lætior juventam.

XXIV.

AD MUSAS.

SAnctæ Pierides, Deæ Camenæ;
Vobis vivere, vos amare porro
Omnes ſum aſſiduè obligatus annos;
Quòd munus mihi tale feceritis.
Nam veſtrum mihi corculum dediſtis;
Qui flos eſt juvenum, & medulla ſuadæ;
Quem pluris facio unicum ſodalem,
Quàm quòd eſt ubicumque doctiorum;
Quàm quod eſt ubicumque ditiorum.
Vos ergo ſequar uſque & uſque, donec
Tantùm illi ingenio placere poſſim,
Quantùm ille ingenuis placet Camenis.

XXV.

DE CLAUDIO BOZIO.

Inſcribendum in calatâ ejus imagine Diſtichum, anno 1708.

EXimium oſtendit juvenem, quam cernis imago:
Mellifluæ voces, ſcriptaque docta virum.

XXVI.

XXVI.

PARAPHRASIS PSALMI CXI.

Beatus vir qui timet Dominum, &c.

FElix qui cæli Dominum terræque potentem
Aſſiduè colit, & fumantes pronus ad aras,
Implorat meditans æternæ numina mentis:
Unde regat juſtè ſéque & ſua. Scilicet illum
Merces ampla, volente Deo, & victura ſequetur.
Et primùm ingenti populos parere docebit
Imperio, qui colla jugo felicia ſubdent
Mirantes tacitè regem, natoſque, nepoteſque,
Egregias animas, & totam ex ordine gentem;
Quâ non clara magis, neque cælo acceptior ulla
Libat odoratum ſanctis altaribus ignem.
Mox & opes florent, & gazâ pulchrior omni
Gloria; quæ nullis annorum obnoxia fatis
Omnia perpetuâ complebit ſæcula famâ.
Namque manu facili, quod non ſibi colligit, aurum
Effundit miſerans inopem, ut jucundiùs ævum
Exigat, & magno poſſit ſupereſſe labori.
Non illi vanæ voces, & neſcia frugis
Verba volant. Sapiens animo ſub judice lingua

Nil niſi supremâ directum lege profatur.
Bella vocant, animiſque fremunt ingentibus hoſtes.
Ille Deo nitens, atque uno vindice fretus,
Stat tempeſtatem contra, neque pluribus impar
(Ut pelagi rupes validâ pulſata procellâ
Ipſa immota reſiſtit; aquæ volvuntur inanes)
Suſtinet horrendos numero & crudelibus armis,
Impavidus: donec ſolio deſpectet ab alto
Tendentes miſerè dextras, pacemque precantes.
Namque ubi terrificis involvunt cuncta tenebris
Inſidiæque, dolique, & operti crimina belli;
Tum pater ex ipsâ nitidum caligine lumen
Irrigat, ambroſiæque comæ, radiantiaque ora
Affulgent cœlo, & turgentia nubila pellunt.
Qui calcare Dei leges communia jura
Imbibit; humanæ violat qui fœdera pacis
Per populos, audetque injuſta laceſſere bella;
Adſpicit hæc, oculoſque, fremens immane, retorquet
Nequicquam. Tabeſcit enim, cæcumque medullis
Vulnus alit. Cecidere mali. Perit irrita cura,
Votaque ſucceſſu nuſquam dignata ſecundo.

XXVII.

APES.

FABULA.

Ad illuſtriſſimum virum JOAN. PAUL. BIGNONIUM, Abbatem ſancti Quintini, Comitem Conſiſtorianum.

Atheniensis ille virtutum parens,
Quam non meruerat mortis expectans diem,
Luſiſſe fertur concinnandis fabulis.
Ergo catenas & ſqualorem carceris
Animæ innocentis ultus eſt conſtantiâ.
At quale fuerit quod polivit verſibus,
Cùm divinare vellem quantùm hodie licet;
Occurrit hæc fabella; quæ ſententiam
Si tibi videtur continere Socratis,
Bignoni, docte diſciplinarum arbiter,
Non eſt laboris ut me pœniteat mei.
Qui jura princeps apibus & legem dedit;
Cùm ſe recenti populo conſtituit ducem,
In unum corpus diſſipatas congregans,
Fuit ille pariter gloriæ ac belli appetens;
Neque aliud eſſe voluit indictum ſuis,

Niſi ut paratæ ſpiculis vibrantibus
Pugnare ſcirent inſtrepente buccinâ
Statim ; ſuique ſpargerent latè metum.
Terrore ſolo ſcilicet reſpublicas
Domi vigere, & facere progreſſum foris ;
Emique pacem non niſi victoriâ.

Regnavit alius, qui fatigatis ait ;
Sat eſt furoris : alma ſuccedat quies,
Juvat ſelectis incubare floribus
Sub ſole puro : nectaris ſuccos juvat
Potare feriatas integros dies.
Quid enim ? citato vita labitur pede.
Parere cunctæ commutatis legibus,
Novoſque mores ac voluptatem ſequi
Stultam magiſtram : cujus aſſiduè comes
Deſidia totum penè conſumpſit genus,
Diſcordiâ miſellas, & fame necans.

Caput coronâ qui præcinxit tertius ;
Priorum exemplo cautus, & ſitiens lucri,
Ceram denſare docuit in alvearibus,
Primùm celebrare dulces ut poſſent domos ;
Tum ut homines demereri, queis procuderent
Centum præclaris utilem ceram artibus.
Quâ filius ora mortui ponens patris
Numen familiæ ; coleret ut ſuperſtitem,
Negotium proceſſit ex voto hactenus,
Commercioque modicæ creverunt opes ;
Donec præceptis impares laboribus

Apes pudere cœpit mercimonii.
Tandem appulerunt animum ad illud maximè,
Quod ſingulare poſſident, & optimum.
Namque ut mortales inter latitantem Deum
Dictæo cæli regem in antro paſcerent,
Immiſit illis ipſe conſilium bonum,
Libatis ut ſtiparent mel è floribus,
Opus cæleſte: quod molitæ naviter
Jovi fecere ambroſiâ potiorem cibum.
Ex illo mirâ nobiles induſtriâ
Apes replendis immori gaudent favis;
Adeò divinus illas exercet labor.
Neque martem omittunt, ſicubi ex uſu ſiet
Bellare, ut gazis arceant fucûm impetus;
Neque abſtinent viretis. Et flores metunt,
Coguntque ceras. Verùm hac mente ſingula;
Natura melli ut conſtet, ac ſapor ſuus.
Noſtram omnium fabella ſtultitiam admonet;
Qui multa cùm ſequamur, unicum ferè
Studium divinæ ſpernimus ſapientiæ;
Quæ propria noſtri generis eſt atque ingenî,
Fingenda ſoli ut mella conveniunt api.

XXVIII.

AD MUSAS.

Kal. Jan. M. DCC. IX.

DUlces quære mihi, Camena, verſus,
Verſus mellifluo lepore tinctos,
Plenos ambroſiæque nectariſque;
Queis iratum animum mei Remundi
Placem continuò, novis Kalendis
Jani. Nam procul hinc ſuos ocellos
Avertit, minitans niſi elegantes
Concinnem numeros, dolens & æger.
Quare illuc properes, lyram ſiniſtrâ
Geſtans Ioniam, ac tremente plectro
Compeſcas animi frementis æſtum.
Tum, ſi adſpexerit, illud adjuvato
Ut mittat mihi non rudem lituram
Heſternæ ſimilem, ſtyloque verſo
Papyrum repleat notis amoris.
Illud adjicies: Tibi ſodalis
Infelix tuus iſte non Kalendas
Unas, at ſolidum precatur annum:
Cúmque hoc innumeros precatur annos,
Quos ipſæ Venereſque, Gratiæque,
Ducant divite de colu beatos.

XXIX.

IN REMUNDUM.

DI, ſi vivere me & valere vultis,
Conſervate mihi meum Remundum;
Quem labor ſtudiumque literarum
Conficit magis in dies & horas:
Nec ſe reſpicit, & capit quietem,
Aut ſegnes patitur jacere libros,
Qui ſunt ſordiduli nimis terendo.
At pectus tamen improbi laboris
Ærumnâ domitum & caput fatiſcit:
Fruſtra; nam immodicè obſtinatus urget
Idem propoſitum, tenetque ſemper.
Hunc, ſi quid pietas amorque veri
A vobis, Superi, obtinere poſſit,
Conſervabitis; eſt enim ſatelles
Virtutis rigidæ, integerque cuſtos.
Atque illud propriè Deos decebit
Servare unâ operâ duos amicos,
Remundum ſimul, & ſimul Fraguerum.

XXX.

AD EUNDEM.

SI mihi formoſæ Veneri dilecta columba ;
Si mihi Cecropiæ noctua grata Deæ ;
Aut aliqua è ſtrigibus, mea quas Amaryllis amabat,
Afforet, ad juſſus blanda venire meos ;
Hoc tibi epiſtolium cum pyxide læta tuliſſet :
Pervigil ad veſtros nocte ſilente lares.
Nunc ego (quod miſerum eſt) Allobroga mittere cogor,
Delicias duro qui ferat ore meas ;
Et dicat : Meus hæc tibi herus collecta remittit,
Tu cave ne perdas, & tibi mittit Ave.
At vos Dî perdant, gens inconcinna Sabaudi,
Et mihi concinnæ reſtituantur aves.

XXXI.

IN EUNDEM.

O Laſciva capella, virentibus hoſpita ripis,
Quam juvat agreſtes inter Hamadryadas
Ludere ſubſultim, pedibuſque micare biſulcis,
O nutrix pueri nigra capella Jovis :
Carpe thyma & flores, gemmæ nec parce tumenti,
Una ſit aſſidui ſpes licet agricolæ :
Carpe modo : at dulci fueris cùm reddita ſomno;
Per noctem viduis compoſita in thalamis,
Ne tibi formoſus quiſquam ſubrepat adulter,
Et noceant lacti gaudia plena mero :
Ut cùm ſole novo diducet lumina Daphnis;
Lumina adhuc lentis tincta papaveribus;
Adſis : & lævam mox dormiturus in aurem,
Ambroſiam plenis ducat ab uberibus.

XXXII.

AD EUNDEM.

JAmdudum egelidi te gratia ruris, amœnos
Inter ſeceſſus, & dulces detinet umbras,
Ubera montivagæ ſiccantem plena capellæ.
Illa quidem felix, & doctis grata Camenis;
Ipſarum è manibus pratenſes accipit herbas,
Florentem cythiſum, caſiamque, crocumque rubentem,
Unde tibi graciles permulcens irrigat artus
Lacte mero: nulloque volens ad mulctra vocante
Dat ſeſe, ac tali nutricem præbet alumno.
Sed tamen eſt quidam ſtomacho modus utilis ægro,
Præſertim nimios cùm ſol accenderit æſtus;
Corporaque ardenti langueſcunt icta calore.
Tum juvat auſtero vires recreare Lyæo,
Linquentem ſylvas, & gaudia nota ſequentem;
Ergo ades, & caros tantiſper deſere ſaltus,
Dum ſitiunt herbæ, dum candens aëre toto
Volvitur, & ſiccas exurit pulvis ariſtas.
Mox erit ut, ſeſe torrens ubi fregerit æſtus;
Atque imbri pater irriguo deſcenderit æther

Conjugis in gremium, ac tantos extinxerit ignes,
Te rurſum accipiant latebræ, jucundaque ruris
Inter Socraticos inſumas otia libros.
Interea, te ſi qua tui, Remunde, ſodalis
Cura tenet, repetas urbem, afflictumque reviſas,
Cui caput impoſitis peſtis premit aſpera plantis,
Mollia ferratâ diſtorquens colla catenâ.
Febris quinetiam totos infuſa per artus
Tabentes liquido mihi paſceret igne medullas;
Ut nuper (namque hæc miſero nova peſtis adhæſit)
Ni medicorum artes, & corticis uſus amari
Comprimerent ipſis clauſum in penetralibus hoſtem.
Sed venias; fugiet noſtro de corpore febris;
Multaque jam lento figam tibi ſuavia collo.

XXXIII.

DE KALENDIS MARTIIS.

Anno M. DCC. XI.

BRuma fugit, Martis feſtæ venêre Kalendæ,
Solque bonum puro temperat igne diem.
Aſpera miteſcunt Zephyris humentibus arva;
Fert violas udo terra benigna ſinu.
Heu violas, quas non paſtor, non pulchra puella
Colliget, ornatas impedietque comas.
Sed pede robuſto calcabit miles, & arma
Figet in herboſo ſanguinolenta ſolo.
Mars ades, at bellum crudeliaque arma recondas:
En vocat in thalamos te Cytherea ſuos.
Sic venias. Veniet tecum gens omnis Amorum;
Mulciber in caſſes quos parat, ipſe cadet.
Sed furit heu! blandæque avertitur otia pacis.
Jam precor, in terras horrida bruma redi.

XXXIV.

AD

ANNAM FABRAM

DACERII.

EXtremum hoc nobis carmen concedite, Muſæ,
Quo veſtræ meritos Annæ dicemus honores.
Vos, quorum aſſiduis illuſtrat nomina curis;
Callimachi manes, & puri ſacra Terentî,
Plaute dicax, & Ariſtophanis mordacior umbra,
Permiſtuſque roſâ canentes, Teïe, capillos;
Túque etiam ſceptro vatum dignate ſuperbo;
Eſte boni, placidamque meis date cantibus aurem.
Ipſa autem antiquos paullum obliviſcere vates,
Ne divina meos obſcurent carmina verſus.
Mox repetes meliora: neque obſtrepet hæc tibi rauco
Fiſtula noſtra ſono, & ramis appenſa ſilebit.
Adſpice triticeam meſſem flaventibus arvis;
Cui neque ſe lolium neque noxia ſubjicit herba,
Tantùm interjecti diſtingunt æquora flores.
Una hæc, Anna, tuæ eſt, & idonea mentis imago,

Sic natura ſegeſque animi mollita ſubacti
Fert tibi robuſtas maturo tempore fruges
Floribus inſperſas, ut puro ſidera cælo
Pura micant. Iſto nitidam ſe ſuſtulit arvo
Culta Ceres, meſſiſque operum pretioſa tuorum.
Hæc erat ubertas veterum, quos ipſa reducis
Ad ſuperos, noſtri ſanans contagia ſæcli,
Et Muſas revocans & Homerum in priſtina jura.

Pierides olim Graios fecere poëtas
Mæonida ex uno, qui divitis ubere venæ
Proluit egregios hominum, & fecunda rigavit
Semina neglectis animarum incluſa latebris.
Pòſt ubi commotæ Pindi de ſedibus imis
Armorum ſonitu, & Latiarum horrore tubarum;
Victricem Auſoniam & ſaltus adiere Latinos:
Tum verò Graioſque duces ac triſte duellum
Hectoris, & fœdè laceros in pulvere crines
Cantavere ipſæ, reditumque Ithacenſis Ulyſſei.
Carmine quo capti poſuere ferocia corda
Romulidæ. Hinc animos peregrinum imbuta lepo-
porem
Bellica gens, coluere artes; lætique pèr aras
Hoſpitibus Muſis & Phœbo dona tulere.
Otia ſic pulchri ducebant Tybridis antris
Euterpe, Clioque, Thaliaque, Melpomeneque
Terpſichoreque, Eratoque, Polymniaque, Ura-
nieque,
Calliopeque, una ante alias audita ſorores

Carmina Mæonidæ docto recitare Maroni.
At gens immanis gelidâ deſcendit ab Arcto
In Latium, & bello trepidas flagrante coëgit
Velle fugam, & patriis iterum ſe condere ſilvis;
Horribiles donec populos feralis Enyo
Fontibus immiſit ſacris, atque otia rupit.
Ergo Roma Deas iterum formoſa receptas
Conſtituit luco, ſuaque illis templa refecit.
Ex illo renovatus honos. Coluere Camenas
Felices populi. Tum Phœbi interpres Homerus
Antiquam ſæclo famam inſtaurare perito.
  Nunc ætas indocta ſubit. Vileſcit Apollo,
Dum laudis propriæ ſtudio decepta juventus
Doctorum antiquos avertitur æmula calles.
Non ars ingenio, non menti deſit acumen;
Sed pravo inſueſcunt animos, rectumque peroſi
Deſignant figmenta modis incondita miris.
Quin & compoſitis tradunt præcepta libellis,
Et quaſi deliret ratio jam effeta, probantur.
At populus fumum & nugas miratur inanes.
  Textilibus, Muſæ, calathis, fragrantia ſerta,
Ferte roſam, & violas, & odoram adjungite myrtum,
Anna quibus frontem decoret; namque una tuetur
Jus veterum, & veſtras defendit ab hoſtibus aras,
Arma gerens quæ vos olli tractanda dediſtis,
Et gaudetis enim, Divæ, uberiuſque favetis,
Aurea ſi veſtros inviſit femina ſaltus.

Tum proprio ſexu duplices impendere curas
Vos juvat, arcaniſque errantem admittere lucis,
Quò vix ulla viros ducit via. Scilicet illi
Sancta Venus, Chariteſque, & Amorum innoxia turba
Sternit iter, famulâque manu ad ſublimia ducit.
Pro quo Muſarum hoſpitio, dulcique favore,
Ingreditur juſto certans defendere bello
ANNA Deas, gratumque animoſa rependit amorem,
Donorum memor & conceſſæ femina palmæ.
Conditur Aonidum luco pulcherrima ſedes
Devia, ſecretique latent ſacraria Phœbi;
Silva tegit. Veris illic ſe cuncta figuris
Prædita miranti objiciunt; rerum undique puræ
Stant formæ circùm; non quas Natura creavit,
Sive parens rerum eſt, ſive eſt injuſta noverca;
Sed quas Omnipotens æterno lumine mentis
Conſulit impreſſas in ſe, fingitque tuendo.
Huc pauci penetrant. Citharâ crinitus Apollo
Ipſe ciet, quibus illa volens arcana recludat.
Admiſſi pingunt animo, ſecumque reportant
Effigiem Pulchri liquidam & cæleſtia viſa.
Atque illis ubi picta pari ſe linea ductu
Obtulit, agnoſcunt alacres, & imagine ab ipsâ
Attollunt oculos, & notum exemplar adorant.
ANNA patri docto, docto par, Anna, marito,
Hinc ducis formam ingenuam verumque colorem
Mæonidæ

Mæonidæ magni, propriiſque coloribus æquas.
Non ſecùs ac ſolem in ſpeculo ſi candida nubes
Excipit adverſum, & radiis percuſſa figurat
Totum in ſe; flammis duplicata utrimque coruſcant
Ora Dei: dubitant Perſæ, attonituſque Sacerdos
Hæret Panchæos cui primùm incendat odores.
Sic tua divinum deſcribit pagina vatem.
Aſt aliis tanto necquicquam in lumine ſegnes
Caligant oculi. Qualis cùm noctua lucem
Adſpicit obtutu modico, & perſtricta receſſit.
Hanc ſpecus & creperæ pavidam juvêre tenebræ.
Perge viris lucere facem, quà recta priorum
Continuò ad ſacros divertitur orbita fontes.
Sunt aliæ quæ penſa manu volventia ducant.
Quamquam ô! ſi cæcas regeret prudentia mentes;
Illa mihi felix animi & præclara laborum,
Quæ tua nobilibus curis exempla ſecuta eſt.
Nam, validos quæ cruda mares ad prælia durat,
Hæc eadem natura bonas ipſa inſerit artes
Femineo generi, ſtudiiſque ita lenibus aptat,
Ut quocumque voces, mens haud invita ſequatur.
Larga ſalem ac veneres ultro naſcentibus addit.
Necnon & tenero prodit ſe corpore viva
Lux animi, fingitque oculos; & gratia vultu
Inſidet, ac riſu concinnat labra venuſto.

S

Nec feciſſe Deum pretioſa hæc vincla putandum
eſt,
Ditibus ut nodis animam vinciret inertem.
Femina conſortes inter nutrita Camenas
(Si modò concedunt mores inimicaque jura)
Emineat, noſtroſque ſibi tranſcribat honores.
Sed bona debilibus vitæ neglecta ſub annis
In vitium vertêre. Jacent corrupta premendo
Munera naturæ; nec mentibus indita puris
Flamma viget. Superant nugæ, pravique libido,
Atque amor, & vani tenet indulgentia cultûs.
Nauſeat in ſtudiis virgo, & diverſa refugit.
At non, iſta tuæ nuper lætiſſima vitæ
Spes, & amor, fato Superûm prærepta puella.
Illa quidem primævâ oriens demeſſa juventâ,
Ut roſa, quæ croceos auroræ aperitur ad ignes,
Antè cadit, quàm ſol medios incenderit æſtus,
Sic lentum poſuit leto caput. Hei mihi! quantum
Solamen conjuxque tuus tuque, optima, perdis!
Ut tua poſthabito volvebat ſcrinia ludo!
Quo ſtudio patriſve libros matriſve legebat
Delitias artemque notans? animæque ſagacis
Indicium lecto jam tum oſtendebat Homero!
Quantum in Telemacho, quantum Aſtyanacte
dolebat!
Et poterat leviora ſequi, fidibuſque ſonoris
Dædala multiplices Italûm devolvere cantus.
Heu! breve fit quodcumque juvat. Deſiſtite, Muſæ:

Vulnera mœſtorum crudeſcunt ſæva parentum :
Et fletu miſeram video tabeſcere matrem.
  Progenie duros aliâ ſolabere caſus,
Præclarorum operum ſerie, quibus inclyta mater
Conceptis animo vitam nomenque dediſti.
Mox etiam illorum pulchrâ de ſtirpe videbis
Perpetuos naſci genitrix laudata nepotes,
Eximios vates & Homero digna locutos.
Et, paribus tecum ſtudiis quæcumque per artes,
Femina victuræ perculſa cupidine famæ,
Excolet ingenium, ac Muſis operata litabit.
Quippe manent fœtus animæ, ſincera propago.
Immortalis enim ac divino ſemine prægnans
Nil mortale parit : ſi fœtum tollere Muſæ
Dignantur faciles, & vota ſecundat Apollo.
Hi, potior ſoboles nec duræ debita morti,
ANNA, tuum ſublime ferent ad ſidera nomen.

XXXV.

FRANCISCI SERAPHINI REGNERII MARESII

Epicedium.

Anno M. DCC. XIII.

FElix, qui placidæ perfecto tempore vitæ,
Occidit æquales inter longævus amicos!
Atque illi claudunt oculos morientis, & ora
Componunt mœſti, dicuntque noviſſima verba;
Ipſe fugit, patrioque volens ſuccedit Olympo.
At nos, aſſiduis quos vita doloribus urget,
Non immaturi terremur imagine leti;
Nec venit in mentem, quâ nos in luce reponat
Corporis ereptos tumulo, & fallacibus umbris
Optima mors: adeò tetri contagia vaſis
Divinam infuſcant animam, affliguntque tegendo.
Non ita Regnerius, qui cùm ſuprema videret
Impendere ſibi, morboque fatiſcere corpus,
Non gemitum dedit, aut lacrymas effudit inanes;
(Tantus amor cæli!) non mentem, oculoſve retorſit
Ipſius à facie mortis; ſed lumine recto

Adſpexit: vivâque eadem quæ voce canebat,
Implevit moriens. Nam qualis navita portum
Cùm ſubit, emenſi poſt mille pericula Ponti,
Advertit proram exſultans, terramque ſalutat;
Haud ſecus optatam vitæ contingere metam
Geſtiit; ac terris jam nil debere profeſſus,
Erexit caput, & fata ad meliora receſſit.
 Ille tamen, ſi qua eſt vivendi vera voluptas
Felle carens omni, Divûmque ſimillima vitæ,
Hanc habuit fati comitem, propriâque potitus
A puero eſt: illi ſociam ſe provida Pallas
Addiderat, faciles regeret quæ mentis habenas
Ad potiora vehens. Ætatem innoxius egit
Pacis amans, ſummiſque hominum dilectus, & imis.
 At non fama viri Gallorum in finibus hæſit.
Nam quà Roma caput cælo pulcherrima tollit;
Et quà Francigenam miratur Iberia Regem,
Omnia Regnerii nomenque decuſque loquentur.
Atqui diſcedens, æquo tam dulcia vultu,
Nec deſideriis, blandâve cupidine tactus,
Tot bona depoſuit; verumque exemplar honeſti
Expreſſit vivens, & in ipsâ morte beatus.
 Nos miſeri planctum, & juſtis lamenta querelis
Miſta ciemus, & uberibus flent lumina rivis.
Ecquis enim, cari mœrens ad buſta ſodalis,
Exilium hoc vitæ, ac viduos non lugeat annos,

Qui ſuperant, dum nos Divûm implorata poteſtas
Reddiderit nobis, eademque ad fata vocarit?
Suave dolor, lentoque juvat marceſcere luctu.
Talia volvebam, & turbatâ mente ferebar,
Si mœrorem animi poſſem lenire dolendo:
Cùm ſubitò gravidas nimbis allapſa per auras
Adſtitit Uranie doctarum prima ſororum,
Vincta comam, fuſcâque humeros circumdata pallâ,
Funereamque gerens dextrâ languente cupreſſum.
Pone modum, dixit, lacrymis, & comprime queſtus.
Ipſe jubet, qui vos alto jam ſpectat Olympo
Regnerius, nectarque ipſo de flumine potans,
Corrumpi vano prohibet ſua gaudia luctu.
Et nos dilecto cineri, mœſtiſſima turba,
Et violas Muſæ, & ferrugineos hyacinthos
Miſimus inferias, fletuque rigavimus urnam.
Vos moniti ſervate viam, quâ victor ad aſtra
Ætherio nitens curru, & cæleſtibus alis
Evaſit; vitæque malis exercita virtus
Veſtra per hanc agili ſeſe ferat æmula pennâ.
Ipſa canam. Præcepta illum divina ſequentem
Claravit pietas, homines quæ mentibus una
Adjungit ſuperis, & eodem fine coërcet
Mirantes pariter non enarrabile numen.
Nec patriam tanto quiſquam dilexit amore:

Ille licet Romæ, vel claris natus Athenis,
Laudato memores implerit nomine faſtos.
Hinc Regem ut caneret, Regiſque ingentia facta,
Ora ſibi centum, ac vocem voluiſſet aënam.
Omnibus hinc linguis (quis enim modus?) omnibus illum
Cantavit numeris; & in auro carmina cælans,
Regem ubi porrectâ Victoria fronde coronat,
Vitam operi, pretiumque dedit. Mirabitur ætas
Poſtera, & hæc fulvo dicet potiora metallo.
Quin etiam oppreſſus fatis, letoque propinquus,
Qualis olor liquidi moriens ad ſtagna Cayſtri,
Illius in laudes condebat nobile carmen,
Carmen cui Muſæ, cui pulcher plauſit Apollo,
Quo captus rapidos requievit Sequana curſus.
Idem, ſi qua mora eſt veſtris illata triumphis,
Ille quidem ingemuit, ſed ſpem diſcrimine ab ipſo
Arripuit, Regi fidens, & fortibus armis
Audacis populi; nec ſpe deluſus inani eſt.
Pro tali obſequio, quo non acceptius ullum
Cælicolis, merces illi juſtiſſima venit.
Namque datos ævi cùm jam prope clauderet annos,
Fila gravi fuſo volventibus ultima Parcis
Injecêre moram Superi, ut florere videret
Victricem bello patriam. Tum Juppiter addit:
Necte novam Regi laurum, divine poëta,

Et lauro ſubnecte oleam : Victoria pacem
Læta feret : bellique omnis niſi flamma reſidat ;
Rex fera Germani diffringet cornua Rheni.
Dixit, & ad fortes detorſit lumina Gallos.
Adde ſagacem animam, & vigiles ad publica curas ;
Præcipuè Româ in mediâ, cùm barbara monſtra,
Corſica gens ferro Legatum invaſit & igni,
Auſa nefas immane, ſacrataque jura reſolvit :
Cùm pia ad infandos expavit Roma furores,
Et ſcelus ipſæ Alpes, ipſe horruit Apenninus.
Tum res conſiliis acrique labore juvabat,
(Grande miniſterium) & quæ deinde retexuit acta
Callidus, & ſapiens, atque omni tranſdidit ævo
Pro majeſtate Imperii, ſceptriſque tuendis.
Nec minor ingenii virtus, hebetandaque nullo
Pondere mens ; duci facilis quacumque moveret.
Ipſa manu artifici ſolers natura creârat
Egregium caput, & magnæ penetralia mentis ;
Ne vel continuo terreni carceris uſu
Particula hæc purâ libata ex ætheris aurâ
Contraheret vitium, aut ſenio tardante jaceret.
Pulchrum autem aſſiduè meditans, de fomite mentis
Abſtruſum extuderat, Muſiſque ſacraverat ignem.
Hîc ego te, florens Gallorum Academia, teſtor,

Magnis

Magnis clara viris, & magni Regis amore.
Dicite, noſtis enim, atque aliis memorare juvabit,
Ut ſacra perpetuus curârit veſtra Sacerdos:
Ut veſtro ex adyto populis reſponſa profatus,
Æquârit paribus quæſita oracula verbis.
Hic reſerans veſtræ ſecreta recondita linguæ,
Septa priùs tenebris, ac multiplici labyrintho;
Extulit in lucem: ut, qui dudum inoleverat error
Naturæ vitio, ac perverſo more loquendi,
Cederet, ac juſtâ verum peteretur ab arte.
Tum ſacer eloquio myſtes * quæ fudit Ibero,
Francigenis vix nota priùs, communia fecit,
Interpres non arte minor, non lumine diſpar.
Omnibus ille adeò in ſcriptis quæ plura polivit
Aut ſuus, aut aliena ſequens, nuſquam utile dulci
Sejunxit, proprio concinnans cuncta lepôre;
Scribendique idem, ac virtutis idoneus auctor.
Nota loquor: natum dicas ad Tybridis undam
Romanum, Tuſcúmve ſacer quà defluit Arnus;
Tantus in ore lepos Italo cùm carmina verſu
Culta ſenis Teï, ac numeris æquata figurat.
Tam clarâ ſonat arma tubâ, cùm grandia vertit
Mæonidæ, paribuſque modis fera bella canenti
Accinit, & rapido devolvit verba furore.

* *Alphonſus Rodriguez, S. J.*

Et niſi jam Dantes, & notus amore Petrarcha;
Et Caſa, & Eoï Torquatus buccina belli,
Delicias, & opes linguæ, vireſque probaſſent;
Totum id Regnerii poterant oſtendere chartæ,
Illic lingua Italûm magnis non diſſona rebus
Arma fremit: dulces eadem jucunda libellos
Garrit, & infracto modulatur blanda ſuſurro.
Hinc illum adſcripſit celebri Florentia cœtu,
Cui labor eloquii purum ſervare colorem.
Olli inter ſeſe verſantes publica verba
Explorant, praviſque legunt ſincera repulſis:
Qualis triticeum ſecernit machina florem
Furfuribus longè excuſſis, vilique farinâ,
Impoſitâ dum farra molâ compreſſa teruntur:
Et, ſi tanta ſui gravibus ſermonis Iberis
Cura foret, lectique viri, doctuſque Senatus
Concilium ſummis linguæ de rebus haberent,
Inter grandiloquos meruit conſidere Patres.
Nam Latium vetus, ac veteres complexus Athenas,
Spernere jure ſuo quamquam ille recentia poſſet,
Hæc tamen haud parvo tenuit quæſita labore.
Senſiſti quàm comis erat, quàm fidus amicis:
Arcanumque premens quâ relligione taceret:
Afflictos ut ſæpe homines in rebus acerbis
Conſilio erigeret bonus, alloquioque bearet;
Utilis & ſanis, & mentibus utilis ægris.
Hactenus hæc. Imitare virum, longèque tuendo

Præſentem ſequere, ac verâ virtute parenta.
Hæ demum inferiæ dulces, hæc munera ſunto.
Talibus Uranie dictis, ac numine blando
Inſtantem emovit curam, atque adverſa refugit
Ad ſuperos: ubi cælum illi labentibus aſtris
Temperat expreſſum concordi murmure carmen,
Illa regit certos æterno fœdere motus.
Sancte ſenex, primis colui quem ſemper ab annis,
Qui me dilexti juvenem, quo tempore primùm
Lenta per Aonios poſui veſtigia calles:
Si qua mihi laus vera, tuum eſt. Tu cardine verſo
Ipſe manu, veſtri ſuſpenſum in limine templi,
In delubra Deûm, atque oculis loca tecta profanis
Duxiſti, & firmâ titubantem in ſede locaſti.
Pro quo ſuſceptus meus hic labor. Hoc tibi munus
Sacrum rite fero, téque hoc ego funere dono,
Verſibus heu! repetita inter ſuſpiria natis.
Tu mihi, ceu fido ſobolem commendat amico
Præreptus fato genitor, ſic morte ſub ipsâ
Divini fœtum ingenii, prolemque beatam *
Commendans, monumenta tui victura dediſti.

* *Tullii libros quinque* de finibus bonorum & malorum, *quos Regnerius Gallicos ex Latinis fecerat. Prodierunt anno* M. DCC. XXI.

Dulces relliquiæ, magnumque in nomen ituræ;
Non ego vos patriæ votis, non gentibus ullis
Invideam. Domini laudes, famamque recentem
Spargetis latè, vivumque per ora feretis.
Interea ſalve merito lux addite cælo,
Extremumque vale; ac placido nos adſpice vultu.

XXXVI.

AD NIC. GEDOYNUM.

EST mihi Burgundis expreſſum nectar ab uvis,
Eſt mihi Campani grata ſaliva meri;
Et glacies vini lena: atque ſalacibus herbis
Inſperſum, denſo cum ſalis imbre, piper.
Eſt oleum antiquis miſſum mihi munus Athenis,
Et nive pura magis candidiorque ceres.
Eſt agni femur, & lactucæ in jure natantes,
Atque Cytheriaco nata columba jugo.
Hæc eſt ſimplicitas noſtri mundiſſima victûs,
Libera, divitibus nec ſatis apta viris.
At tu, ſi facilem non aſpernabere cœnam,
Immenſas regum deſpiciemus opes.

XXXVII.

VOTUM MUSIS

ἀποτροπαῖον.

Kal. Jan. M. DCC. XIV.

JAnus omine non bono recludit
Annum. Namque liber novis Kalendis
Prodit, quo meus heu! ſodalis ille,
* Famâ nobilis & ſonante plectro,
Furcillis agit, ô dei, deæque!
Pindo præcipitem optimum poëtam
Homerum: neque id, ut putare poſſes,
Joco, ſed ſtudio uſque pertinaci.
Quod ne nos teneat ſcelus nefaſque,
Sic votum fiet omnibus Camenis.
Divinæ Iliadis vovemus ambo
Toto hoc curriculo recentis anni,
Remundus, Fraguerusque, lectitare
Mille carmina ſingulis diebus.

* *Antonius Houdart de la Motte.*

XXXVIII.

NICOLAO REMUNDO.

Ut, omiſſis ſeverioribus ſtudiis, ad defendendum Homerum accedat.

ERgo aliquis veſtri ſpeciem deformat Homeri?
Tu ceſſas, neque adhuc pugnæ ſuccedis honeſtæ,
Aonidum ſpretâ pro majeſtate Dearum?
At non ille domi, patriam dum verteret hoſtis;
Lenta Syracoſius condebat tempora civis
Dulcibus in ſtudiis & veri unius amore.
Ipſe ſed auxilio noctemque diemque volabat
Oppoſitus, quâ parte ferox incendia miles
Volveret, aut fractos quaſſaret machina muros;
Ipſe manum aſſiduè ferro contiſque terebat,
Publica privatæ præponens commoda paci.
Huc ades, Aonidumque arcem & ſacraria noti
Tutatus, refer ingenti jam victor Homero
Ereptam ambroſio capiti, Remunde, coronam;
Si non te liquido paviſſent melle Camenæ,
Exceptum gremio puerum & felicibus ulnis;
Forſitan à tali poſſes abſiſtere bello.
At nunc quòd ſtudiis & claro nomine fulges;
A te pro donis, pro dulcis amore juventæ,

Pierides, Thamyrim contra & deliria vulgi,
Ingenii florentis opes atque arma repoſcunt.
Mox erit ut, cari repetens arcana Lycæi;
Ultra ſidereos ignes, & candida cæli
Templa feras oculos, & ad exemplaria viſus
Admoveas divina, Deique abſtruſa requiras:
Unde malum: humanæ quæ libertatis origo,
Quis modus: an certos alternet regula motus
Mentibus in noſtris, ubi motus corpore ab ipſo
Exſiſtunt, verſoque viciſſim examine cedant
Corporaque & mentes præfixis legibus apta,
Leibnitii quod ſancta tui ſententia ponit.
Tu lucem immenſam & Pulchri modò deſere fontem,
Deſere, & ad cæcas morientûm allabere ſedes;
Antrum obſcurum, ingens, ubi Veri futilis umbra
Attonitas caſſâ deludit imagine mentes:
Et pretioſa tamen miſeris mortalibus umbra.
Hîc palmam antiquo reddes & nomen Homero,
Quà potis eſt ipſam ſapiens laudare poëſim,
Effigies rerum, atque evanida viſa ſequentem.
Hîc Thamyrim elatum plauſu & popularibus auris
Erudiens, veri docilem ad meliora reflectes:
Ille tibi, Muſis olim quandoque litabit,
Et laudem eximiam,& meritos perſolvet honores.

GOTHOFREDI GULIELMI LEIBNITSII

NICOLAO REMUNDO;

Ut pro Homero Platonem curet; & novo Maroni Fraguerio, ut majora canat.

EPISTOLA.

Virgilius Gallus Graïo ſuccurrit Homero
Carmine mirifico, quo ſe Fraguerius acer
Extulit, & doctos in Dardana ſuſcitat arma.
Ad clypeum talem Phrygiæ per inane phalanges
Ingenti tremuêre metu: pars vertere terga,
Ut quondam caput ipſe Paris: pars tollere vocem
Exiguam, inceptus clamor fruſtratur hiantes:
Invictuſque ſuo cum vate triumphat Achilles,
Nec telis, Remunde, tuis ille indiget ultra.
Majus opus præclare moves: ſunt altera bella;
Bella tuâ peragenda manu: ſapientia veſtram
Poſcit opem, divi gladio ſuccincta Platonis.
Cacus eam ex antro ingenti tenebriſque profundis
Infeſtat, diramque exhalat in aſtra mephitim,
Flammarumque globos fumo confundit opaco.
Hinc varia ſcelerum facies mortalibus agris

Irrepunt, inopeſque Dei terreſtria mentes
Sola petunt: latet, aut patitur pro crimine virtus.
Tu verò Herculeos caſtus, Vulcaniaque arma
Indue, Lernaa feriens capita arduus hydra.
Tum ſpecus ut pateat, disjecta repagula ſolve,
Et tenebris immitte diem. Fugientia monſtra
Errorum, Fraudumque, & Tartara clauſa videbis:
Caleſtes contra Formas fulgere per orbem,
Ambroſiâque animas & puro nectare paſci.
In cantus divina novos Polyhymnia ſurgens,
FRAGUERI, *tua plectra vocat; tibi ſanctus Apollo*
Parnaſſi melioris opes, jugáque edita credit.
Conferat haud tibi ſe Lucretius, Aoniuſque *
Infelix. unus poterit ſe tollere contra
Oppoſitos tibi, Lucreti, recludere fontes
Nuper purpureâ redimitus † *tempora mitrâ;*
Feſtinetque utinam prodire in luminis auras!
Conſpirat tamen hic nobis, captiſque favebit.
Tolle caput mundana ſupra, quà maximus auctor
Ex centro radios in terram & ſidera mittit;
Et noſtris oſtende oculis de lumine lumen,
Exemplumque Dei mentes, animataque cuncta,
Atque animâ in quavis clauſi fata omnia mundi.
Nec prater Monadas quicquam ſubſiſtere fixum,
Et Monadum harmonien, quà nullum expreſſius audet
Omnipotentis opus celebrare creantis honorem.

* Palearius.
† Cardinalis Poliniacus.

Hinc leges, Natura, tua, fineſque ſupremi
Conſilii, nihil ut melius tibi fingere fas ſit,
Nec Bonitas plus quàm Sapientia creſcere poſſit,
Et cauſa efficiens finali profluat ortu.
Corporea ô Atomi fugite hinc, Elementaque fruſtra
Credita: particulâ in minimâ micat integer orbis:
Nullum materies patitur cahos: organa cunctis
Indita, & ornatu nihil aut noſcente vacavit.
Et rector Deus eſt, reſpublicaque optima mundi,
Præmiaque & pœna naſcuntur ab actibus ipſis.
Quicquid in ætheriâ pulchrum tibi finxeris aulâ,
Res eſt vota ſuper: tanta hinc fiducia ſanctis,
Tantus amor, tam cana fides, tam pura voluptas.
Aſpice, Fragueri, quàm te divina canentem
Materia exſpectet, quantus tibi vertitur orbis.
Jamque animas video ſe dedere carmine captas
Suaviſono, veróque ardore aſſurgere in aſtra.
Majores ſperare nequit tua Muſa triumphos.

XXXIX.

AD GOTHOFREDUM GULIELMUM LEIBNITSIUM.

Reſponſio ad ſuperiorem epiſtolam.

COrpora, Leibnitſi, divinas noxia mentes
Tardant, & parvo ſubigunt inſiſtere giro.
Ut neque terreni fines tranſcendere mundi,
Aut rapidis valeant ad cælum evadere pennis.
Ergo alii patriæ leges perplexaque jura
Exquirunt. Alius medicas accingitur artes.
Æthera veſtigant multi, ſigniſque notatis
Intendunt pelago curſus, & cærula verrunt.
Quid leviora ſequar? dulces amat ille Camenas,
Hic veterum inſudat chartis, acrique labore
Conſulit & ſaxum, & triplici ſignata metallo.
Hoc ſpatio plerumque homines natura coërcet.
Pauci adeo ætheriâ ſuccenſi pectora flammâ
Altiùs emergunt, & veri quidquid ubique eſt
Arripuêre. Suos vix explicat una volatus
Vivida de multis anima, & ſuccedit olympo;
Unde genus ducit: licet illuc tota feratur
Sponte ſuâ: qualis nido derepta columba,
Quam puer imbelli luctantem claudit hibiſco;

Ingemit, & caros adſpectat mœſta penates!
Clauſtra tenent, lentoque ſedet captiva cubili.
His tua te vinclis obnixum induſtria ſolvit.
Et quanquam infra te poſitas non deſpicis artes;
Alta tenes, agilique vehens ad candida curru
Templa Deûm, immenſi ſpectas miracula cæli.
Hanc tibi Pythagoras, & nomina magna, Meliſſus,
Parmenideſque, Platoque viam fecere priores;
Magnorum artifices operum, populiſque regendis
Clari omnes; quorum aſſiduo veſtigia paſſu
Certa premis, niveâ præcingens tempora vittâ;
Mens arcana Dei per te & ſapientia nobis
Tota patet. Rerum ignotas tu numine in ipſo
Scrutatus cauſas aperis, perfectaque monſtras
Omnia, nec culpæ eſſe locum, quanquam optima ſæpe
Culpatur fictâ vitii ſub imagine virtus.
Namque ultro, ſervire ſibi dum plurima cogunt,
Se mundi partem exiguam præponere mundo
Adſueſcunt homines; & ſi quid labis in illo
Deprendiſſe putant, aut ſi levis officit umbra,
Auctori vertunt vitio: neque protinus omnia
Apta ſitu oppoſito meliùs commiſſa fatentur.
Scilicet errorem hunc imâ ab radice revellis.
At ſuperant Graïo monades tibi nomine dictæ;
Argumentum ingens, & magnæ lucis origo,

Si modò diſcuſsâ pateant caliginis aurâ.
Hactenus ex illâ radios lucemque malignam
Hauſimus : Eoüm veluti cùm nubila ſolem
Nec totum occultant, nec totum evicta recludunt,
Tranſverſi erumpunt ignes. Luctantibus aude
Ingenuum retegens oculis præpandere lumen,
Et jubare exſerto miſtas depelle tenebras.
Adſpice purpureo disjectum à Præſule monſtrum,
Democriti prolem infauſtam, quem lentus alumnum
Pavit Cecropiâ recubans Epicurus in umbrâ;
Pòſt autem Aoniâ pinxit Lucretius arte,
Adjecitque leporem, & non innoxia verba:
Stultitiám veræ larvâ rationis inumbrans.
Hanc idem eliſit peſtem, qui deinde furentes
* Europæ populos æternâ pace revinxit,
Formoſam duplici frontem velatus olivâ.
Ecce, jugis errans nitidi Remundus Hymetti
Flectit iter quâ parte vocas, floreſque Platonis
Carpit apum ritu, & condit cæleſtia mella,
Exitium tetris animi latura venenis.
Ille quidem hoc meditans, & Pulchri percitus œſtro,
Delicias juvenum ac florentes negligit annos;

* *Melchior Cardinalis Poliniacus.*

Virtutemque ab eâ ſolers effingere formâ ;
Socrate quam Phædrus quondam oſtendente videbat,
Emicat, inque ſuos gaudet transfundere mores,
Felix & ſtudiis, totius & ordine vitæ.
Hîc ego, quem longi cruciat vis improba morbi,
Ut potero, floreſque legam nectamque coronas.
Dúmque alii Pæana canent, ego ſimplice Musâ
Exiguum in veſtros deducam carmen honores.
At chorus Aonidum juſto te carmine dicet
Felicis lumen patriæ, qui pluribus unus
Principibus curas & docto dividis orbi :
Unde Italûm genus, & Celtæ, extremique Britanni
Sæpe ſuos lavêre tuis de fontibus hortos :
Nec magis illuſtri per gentes nomine fertur
Ille Syracoſiæ civis mora longa ruinæ ;
Aut qui mobilibus pennis ac præpete niſu
Inſtruxit lignum, & volucrem dedit eſſe columbam.

XL.

AD JOS. OLIVETUM.

QUòd te frigida perculit gravedo,
Quòd tuſſis quatit inquieta pectus;
* THULERI, doleo. At diu ſilentem
Quòd vis morbida ſuſcitat Camenam;
Verſus ut facias Tibullianos,
Id verò mihi proſperum videtur;
Sic, ut hoc pretio velim paciſci
Muſas tam faciles, ut eleganti
Poſſem carmine te remunerari.
Quòd ſi depoſito mali veterno;
Cis flumen properes, domumque noſtram
Actutum venias: ibi jocosâ
Te mulcebimus adlocutione,
Non magni laris ignibus calentem.
Quin & cœnula te manet, merumque
Quali vinitor, Æduis in agris,
Ætatem pater irrigat Baroſus. †

* OLIVETUS, gentile nomen ac paternum: THULERIUS, ab avunculo cum ſubſtitutâ hereditate tranſcriptum.

† Vide Lexicon Burgundicum Bernardi Monetæ.

XLI.

AD AURORAM.

CUrru gemmea lucido
Incedit roſeis acta jugalibus
Aurora, & varium jubar
Latè perpetuis explicat ignibus.
Hìc tu Tethyos in ſinu,
Titan, necte moras, mitior adſpici
Dum lux irrigat aëra,
Et miſtis hilarat cuncta coloribus.
Tali lumine divites
Veſtit, credo equidem, Juppiter inſulas;
Secretoſque pios; quibus
Mulcet nectareus pectora Socrates,
Et myſtes Plato Socratis.
Qui te, Diva, thoro conditus intimo
Surgentem adſpicere abnuit,
Ille Orci tenebras & ſpecus horridum,
Æternùm miſer accolat.
At qui te, viduo manè cubiculo,
Excitus properè videt
Fulgentem, aſſiduè Daphnis obambulet
Felix Elyſias domos,
Daphnis *præſidium & dulce decus meum.*

XLII.

AD ANDREAM DACERIUM.

DE OBITU

ANNÆ FABRÆ

Conjugis.

ELEGIA.

VIvit amata tibi, noſtris jam libera curis;
Nec timet humanas ampliùs Anna vices.
Tu gemis ereptâ mœrens uxore maritus;
Cernis & in totâ nil niſi triſte domo.
Non ſic Eurydicen ploravit flebilis Orpheus
Bis raptam ſtygiâ trans vada furva rate.
Tu gemis. Anna tuo fruitur, jam Diva, dolore,
Et lacrimis gaudet nobilitata tuis.
Non tamen ut ſolitæ corrumpas munia vitæ;
Aut ſtylus è dextrâ languidiore cadat.
Namque, ubi deſertum fletu ſatiâris amorem,
Senſeris & viduos lentiùs ire dies,
Te jubet ipſa modum facere, ac, mœrore ſoluto,
Tædia non longæ ferre moleſta viæ.
Scilicet ad metam properè veniemus eamdem,
Noſter & admiſſis uritur axis equis.

V.

Quod ſupereſt ævi Muſis tradamus; & ipſa
    Conſtet mutando noſtra labore quies.
Hæc ratio vitæ vobis, hic temporis uſus.
    Muſarum in caſtris & vir & uxor eratis.
Anna, colu poſitâ, Graiorum ſcripta terebat;
    Aut factum prælo docta parabat opus.
Te ſtylus, aut vigili curâ relegenda juvabat
    Humida compoſitis pagina facta notis.
Unde tot ad ſeros ibunt monumenta nepotes,
    Majus & ex vobis Gallia nomen habet.
Qui priùs ignotam mortalibus extudit artem,
    Exprimitur totus quâ ſimul arte liber,
Milliaque ex unâ ducens exempla tabellâ,
    Propoſuit cunctis adſpicienda locis,
Is leto eripuit nos noſtraque, & omne per ævum
    Doctrinæ faciles fecit habere vias.
Namque olim, ſi quid ſcripſiſſet idoneus auctor,
    Utile quod nobis, eximiumve foret,
Sæpe recens, chartâ fragili pereunte, peribat,
    Aut longâ in plutei nocte jacebat iners.
Veſtra ſed æternis clareſcet gloria libris,
    Totus & ex illis doctior orbis erit.
Felix conjugio, Daceri, cui nobilis uxor
    Adjiciat famæ lumina tanta ſuæ!
Et nunc Elyſium tenet, atque inſignibus umbris
    Miſta, pios ornat, dignior umbra, choros.
Cui, ſimul ut virides intravit candida lucos,
    Obvia fit paſſis pulchra puella comis;

Filia, quæ primâ nuper demeſſa juventâ,
Fletibus aſſiduis cauſa perennis erat.
Veniſti, genitrix cariſſima, dixit; & illi
Lacryma gemmatâ multa fluebat aquâ.
Stant animæ circùm, quæ dum pietate moventur
Virginis, & ſanctæ gaudia matris amant,
Vicino egreditur ſaltu præſtantis Homeri
Placato ſpecies æquiparanda Jovi.
Dextra gerit ſceptrum. Velantur tempora lauro;
Tota ſubit vatum ponè ſecuta cohors.
Hæc eſt Anna laborum, inquit, tutela meorum;
Anna comes famæ ſubſidiumque meæ.
Quod vici regnoque, tuum eſt, nec Zoïlus ultra
Nomen ab opprobrio quæret inane meo;
Tu veri cuſtos, rectæ tu regula mentis;
Et ſapit ingenio Gallia tota tuo.
Dixit. At illa pedem ſpatiis felicibus infert;
Atque amat herboſis lenta ſedere thoris.
Accedunt comites, naræ melioribus annis,
Nomina vel ſummis invidioſa viris.
Sed neque eam Sappho tantùm, neque docta Corinna,
Andromache quantùm Penelopeque juvant.

XLIII.

JOS. OLIVETO
Ruſticanti in Algia.

REm jocoſam! ſic delirat Remundus noſter, ut nihil ſupra. Ex quo reverſus eſt Londino, vix quidquam niſi de amoribus ſuis loquitur. Qui ſint iſti amores, tu cognoſces ex Propertianis verſibus, quos in eam rem εἰρωνικῶς ſcripſi, & ad te mitto. *Ipſe* etiam, ut probè noſti, ἐρωτικόν τι ex perſona Cornelii Galli cecinit Huetius ὁ μακαρίτης. De Mopſo edendo nihil hactenus certi. Abſurdum ſcilicet videtur negotiis hominem & litibus implicatum talibus implicari ſeu nugis ſeu deliciis. Utinam hîc adeſſes, qui & dubitationem tolleres, & laborem. Vale, & me amantiſſimum tui ama. Memineris multa minatum te, *ſi vacuum tepido cepiſſet villula tecto.* Itaque commota eſt peregrinationis tuæ magna expectatio. Iterum vale. Ego ſanè non valeo: quem ſi valere vis, ſcribas ſæpiuſculè, imò ſæpiſſimè: in literis enim tuis acquieſco. Nemo venit huc, qui ſalutem tibi plurimam non dicat. Pariſiis, IV. Id. Octob. M. DCC. XX.

REMUNDUS

de Mariâ ſuâ.

NUlla eſt quam noſtræ poſſit conferre Mariæ
Inclyta formoſis Anglia virginibus.
Huic neque pulchra Corinna, neque Aonidum
æmula Sappho,
Nec doctor magni Socratis Aſpaſia
Præripiat primum ingenii vel frontis honorem?
Et bona tot noſtris ſunt procul ex oculis!
O! mihi quàm libeat fluctus tranare Britannos,
Cernere & undoſi littoribus Thameſis
Candida cum ſociis nudatam pectora Nymphis;
Seu lavet, aut violis impleat illa ſinum.
Illam de latebrâ tacitus mirarer opacâ;
Phæacum umbroſâ qualiter è ſiluâ
Alcinoï natam latitans adſpexit Ulyſſes,
Ignorans hominem conſpicerétne Deam.
Cujus ut ingenio paullum oblectata puella
Reſtitit, alterno garrula colloquio,
Primula ſecretæ concepit ſemina flammæ,
Ignoti meditans gaudia conjugii.
Felix Nauſicaë, felix Ithacenſis Ulyſſes,
Si facilis voto ſciſſet uterque frui!
Certè ego progreſſus latebrâ, genibuſque volutus
(Debita ſit vitæ lux, precor, iſta meæ)

Atque inter lacrymas, inter ſuſpiria ſupplex;
    Poſſim vel ſaxi frangere duritiem.
Illa quidem fugeret primò, ſed victa rediret;
    Formoſas humili porrigeretque manus.
His me paſcit Amor: quæ nocte dieque revol-
    vens,
    Perditus heu! caſſis ludor imaginibus.

XLIV.

REMUNDO XENIA,

Anno M. DCC. XXI.

Quid faciam ut dulci perſolvam munus amico,
    Cùm novus integros impulit annus equos?
Diva, mone, dixi. Dicenti pulchra Thalia,
    En, quæ poſcis, habet munera Pindus, ait.
Et tibi fas noſtros etiamnum errare per hortos,
    Ac deſueta tibi per loca ferre pedem.
Tu potes, è multis, puros ibi carpere flores;
    Unde ſeni Teïo ſerta legebat amor.
Eſt pallens viola, & ferruginei hyacinthi,
    Et roſa conſtructis injicienda thoris.
Eſt myrtus, dilecta Deæ, quæ tædia mulcet;
    Ac miſtâ curas diluit ambroſiâ.
Hîc ego: Amatori ſint hæc aptiſſima dona;
    Sed meus ille aliud quod meditetur, habet.

Tum Dea: Sunt lauri, tibi quas deſringere fas eſt,
Doctus ut æternâ tempora fronde tegat.
Hac Mæcenatem noſtri cinxere poëtæ,
Sed quercum lauris implicuere ſuis.
Nam laude ingenii, doctorum antiſtes; at idem
Principis eximio clarus honore fuit.
Civicaque ut doctis miſcebat commoda curis,
Non minùs Auguſto quàm mihi carus erat.
* Cujus & ad ſolium reges regumque miniſtros
Siſtebat domino pignora magna ſuo.
Utque pari florere vides vitute Remundum,
Sic illi à nobis par decus omne venit.
Dixit, & intextam duplici de fronde coronam,
Unam ad te Charitum quæ ferat, ire jubet.

* *Remundus per id temporis erat Admiſſionalis, ut aiunt, Legatorum ad Regem Chriſtianiſſimum.*

XLV.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ.

SI poſſem numeros Catullianos
Muſâ vincere delicatiori,
Si Teî ſenis ebrii leporem;
Huc totum Charitum chorum advocarem;
Ut pro munere te tuo, facetis
Ultro verſiculis remunerarer.

Nam vinum mihi, non Maronianum,
At longè melius Maroniano,
Uvæ progeniem dediſti Iberæ.
Quid dico, mihi? non mihi, at Remundo,
Sed quod reddiderit mihi Remundum,
Hoc eſt, me mihi: qui malo jacentis
Illius magè quàm meo dolerem.
Ad vinum redeo. Mihi videtur
Mores ingenio tuos referre.
Nam ſuave eſt ſimul eleganſque vinum;
Sic venas habili fovens calore,
Ut mentes facili capis loquelâ.
Et eſt principibus viris amicum;
Ut es principibus viris amicus.
Nec menſas modò; ſed cubiculorum
Servat, quod facis, intimos receſſus;
Ut ſemper pateat, bonumque in horas
Donet conſilium. Venuſte, rides,
Cùm te perſimilem vides Lyæo.
Ride: vera tamen bonæ canentem
Laudabunt Charites: ſuperque menſâ
Noſtrâ hæc, ad ſonitum lyræ, nigranti
Pingent carmina non inepta vino.

XLVI.

Jocoſa indignatio adverſus Anglos Lutetiæ hyemantes anno M. DCC. XXI.

Quòd Remundum elegantiâ atque urbanitate captum ſic tenerent, ut eum rariùs videret.

IMportunæ animæ, feri Britanni,
Excetræ trucibus pares moloſſis,
Nunquámne in patrias reditis oras,
Ut iſto exſulio levetis orbem,
Quem totum inficitis perambulando;
Peſtis, prodigiumque, belluæque,
Et nullis ſcelera expianda ſacris?
Iſtic ſpiritus ater & venenum
Pulchrè vos alit, & ſale ulceroſos
Pulmones fricat, ut decet: reditque
Ad fuligineas remiſſus auras
Aër ſpurcitiæque, Tetricæque,
Unde copia cogitationum
Dirarum caput ebrium ſubibit;
Sic, ut tædia vos & acre virus
Juſtæ maceret ægrimoniaï:
Et mox frangere vos gulam ſubactos
Cognatis canibus dabit vorandos,
Qui meum eripitis mihi Remundum.

X

XLVII.

WATEAVI PICTORIS

Epitaphium.

SI te Picturæ ſtudium, ſi candida virtus
Tangit, & ætatis gloria vera tuæ;
Pictoris Belgæ Wateavi nobile buſtum,
Quiſquis ades, madidis aſpice luminibus.
Quo ſincera modo dat ſe natura videndam,
Sic ſtuduit docili pingere cuncta manu:
Talis Apellæos diſtinxit forma labores,
Neſcia mentitum quærere forma decus.
Ergo non veterum tabulas aut ſigna ſecutus,
Prætulit ingenuum, quod ſibi fecit, iter.
Felix & pueros & molles ponere Nymphas,
Corpora quæ Charites & Venus ipſa probet.
Quin & cùm noſtro veſtitas more figuras
Egregium raræ pingeret artis opus;
Gratia pingenti radium formoſa regebat,
Stabat & inſueto capta lepore Venus.
Rura etiam, lucoſque Deûm, nemorumque latebras
Solerti facilis compoſuiſſe modo.
Arcadiæ ſaltus, rorantiaque antra putares;
Et loca ſylvicolis trita videre Deis.

Virtutum ſpecie purâ, vitæque colore
Simplice, quàm pulchrâ clarior arte fuit.
Hic ſeptem ſpatio luſtrorum anniſque duobus
Exhauſit vitæ tempora curta ſuæ.
Mens apprima ſagax, vitioſo in corpore vires
Infirmæ, longi cauſa fuere mali.
Pulmonumque lues inviſâ tabe peremit,
Cui dederat mœſtos ſæpius ire dies.
In tabulis vivax, in caris vivit amicis,
Qui ſibi præreptum nocte dieque dolent;
E quibus unus ei titulum hunc in ſede remotâ
Fixit, ut æternæ pignus amicitiæ.

XLVIII.

AD NIC. REMUNDUM.

De candelabris, in quibus cælata extabant inſignium aliquot virorum capita.

TIbi ne ſupellex pura, & argentum rude
Foret, Remunde, quale divitum ſolet
Horum eſſe, quibus eſt magna vis pecuniæ,
Sed parva mentis ingeniique copia;
DELINEAVIT ipſa Pallas hæc tibi
Sigilla, notos exprimens vultus virûm;
Quos alma virtus cælitum ad templa extulit,
Atque hæc magiſtrâ FECIT arte Mulciber.

XLIX.

AD EUNDEM.

De ſeipſo.

JAm neque me docti comitem, Remunde, Catulli
Aoniis miſtum ludere virginibus
Vita ſinit; neque Mæonii veſtigia vatis
Certantem Auſonio inſiſtere Virgilio:
Una ſed auſteri ruſpor præcepta Platonis,
Ut, ſolvens animam à ſenſibus omnivolis,
Gaudeam ei paullatim alacres ſuccreſcere plumas,
Quale ſolet diæ remigium eſſe aquilæ;
Illo fretus, in ætherio me fornice ſiſtam,
Concilium ut conſtat δαίμοσιν ἰσοθέοις.
Adſpiciamque Bonum Pulchri caput, unde ſupernè
Defluit in terras ſancta Δικαιοσύνη.
Illuc te, Remunde, voco. Tantò altior ibis,
Ex iſto quantùm carcere detrahitur.
Hei mihi! quàm duro facta eſt mihi plumbea morbo
Vis animæ, liquidis debita ſideribus!

L.

CLAUD. FRAGUERIUS LECTORI.

VIſum eſt operæ pretium exponere quouſque progreſſa ſit apud veteres diſciplina quæ moralis à Cicerone dicitur. Veteres dico qui Chriſtum Dominum tempore præceſſerunt. Petendum id omnino fuit ex Platone, qui & ſua fecit quæ erant priorum, & adjecit propria, atque in iis concinnandis tantâ cum laude verſatus eſt, nihil ut dictum in eo genere poſtea fuerit quod non ille pleniùs ac meliùs explicatum habeat. Nihil hîc ferè niſi ab illo, quod & facilè agnoſcent ii qui Platonem triverint, & adjectis aliquando notulis indicabo. Inducitur ergo, ipsâ Chriſti Domini ætate, Mopſus Athenienſis ſenex è diſciplina Platonis, qui juvenem tralatitia illa de miſeriis hominum deplorantem doceat quâ ratione & viâ vir bonus evadat, &, quod à virtute ſeparari non poteſt, in hac & futurâ poſt mortem vitâ beatiſſimus: id nempe confici cognitione tum

Dei tum ſui, unde conſtet, ut ad Deum animam, ſic ad animam cetera eſſe referenda. His verò præceptis bene præparatum juvenem facile poſtea fuit, adjuvante Deo, divinitatem Evangelii ex prædicatione Pauli agnoſcere. Hoc autem homine Chriſtiano dignum exiſtimavi, ſi è tenebris hominem ethnicum ſub aurora quadam rationis ad clariſſimam Evangelii lucem perduceret. Rectè Michaël ille Hoſpitalius Franciæ Cancellarius, in epiſtola ad Vidum Fabrum:

Nam ſimul exploſis placuerunt ſeria ludis,
Socratici præſto mihi ſunt ſchola docta Platonis,
Una priùs diviſa locis, & deinde magiſtris;
Paulus & his valdè melior, quíque ejus alumni
Libris oſtendêre ſuis incognitus antè
Qui Deus, & quâ ſit nobis pietate colendus.

Opus ipſum *ſcholam* inſcripſi *Platonicam*, quòd in eo Mopſus ſcholam ſeu ſententiam Platonis explicet de hominis perfectione; faciatque id interrogatus, quod

cùm in Tuſculano ſuo facere profitebatur M. T. Cicero, ſcholas aïebat habere ſe more Græcorum. Quis enim univerſam ſcholæ Platonicæ doctrinam uno vel longiſſimo poëmate complectatur? Ut autem ea verſibus polirem, fecit materiæ triſtitia quædam & ſeveritas, quæ erat minuenda; ſed ut elegiacis potiùs quàm heroïcis, qui & aptiores fuiſſent, & habuiſſent plus dignitatis, fortunâ id accidit, cùm recens ab elegia quadam animum qui erat in curſu ad hæc appellerem; neque tam longam ῥῆσιν meditarer. Nam cùm inter ſcribendum naſceretur unum ex alio, longè prolixius poëma elegiacum extitit quàm initio deſignaveram. Quanquam video veteres ἰδικὰ ſua verſibus plerumque elegiacis, iiſque permultis, concluſiſſe; quo genere etiam uſus eſt Dionyſius Petavius cùm Eccleſiaſten Græcè verteret. Atque hic eſt hujuſce opuſculi ſcopus, hæc ratio; unde, ſi quid etiam comparatione ethnicorum pigeat ſui Chriſtianos ac pudeat, bene locatam atque utiliter operam noſtram exiſtimabo.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

HENR. FRANC. DAGUESSEAU,
Franciæ Cancellarium, & Regiorum Sigillorum Cuſtodem.

HUnc mihi Socratico pictum ſubtemine peplum
Explicat ante oculos noſtra Camena tuos.
Adſpice: forſan & hîc, Themidis divine ſacerdos,
Invenies iſtâ non aliena Deâ.
Hæc eadem ſermone Plato perſcripta reliquit,
Hei mihi! verſiculis quàm potiore meis!
Quos ut fortè leges, ipſum ſepone Platonem,
Ne tibi ſit Muſa vilis opella mea.
Quid volui demens? tanquam ſecludere poſſis
Cujus inexhauſtas mente recondis opes?
Qui mea ſi vivus legeret, mihi cauſa timendi
Verior à tanto judice nulla foret.
Quò magis erratis par eſt te ignoſcere noſtris,
Ut ſtudium certè conſiliumque probes.

MOPSUS,

SIVE

SCHOLA PLATONICA

De Hominis perfectione.

VIvimus ? an mors eſt quod vulgo vita vocatur,
Vita tot ac tantis exagitata malis ?
Includíne animam tumulo ſpirante putandum eſt,
Cùm ſpecus immundi corporis illa ſubit ?
Et veteris noxæ vitio pœnáque tenemur,
Unde dolor nobis exitiumque venit ?
Nil ſatis eſt votis hominum, neque limite certò
Fixa manent, quæ ſors, quæque miniſtrat amor.
Ergo aliquis, clauſo nummorum dives acervo,
Tabeſcit magnas inter egenus opes.
Atque alius, medio ſitiens in fonte leporum,
Miſta venenato gaudia felle dolet.
Ambitio furor eſt, & curarum effera mater
Vix timet Herculeas, fertilis Hydra, manus.
Nil facit ad requiem robur, nil forma, nec aurum,
Intima ſi cæcis æſtuat unda vadis.

Hæ peſtes animi. Jam moles corporis ipſa
Frangitur innumeris, mox peritura, malis.

Qui numeret morbos, idem numerabit arenam:
    Nos ſumus undoſæ pervia navis aquæ,
Quam Boreaſque Notuſque ruunt, & verberat æquor,
    Arbitra nocturnæ dum latet Urſa viæ.
Inde fit adverſo videatur ut omine naſci
    Victurus tali conditione puer.
Jamque ciet lacrymas, & queſtibus ilia rumpit,
    Præſcius ærumnæ ludibriumque ſuæ.

Hæc Damon Mopso juvenis præſente canebat,
    Eliciens docti verba diſerta ſenis.
Tempus erat, cùm ſe terris monſtrare pararet
    Natus Idumæo pacifer orbe Deus;
Fons veri, veræque dator pietatis & auctor;
    Lumina, præ cujus lumine, cuncta ſilent;
Stricturæque leves dici, aut ſpecioſa merentur
    Somnia; mox nato diſcutienda die.
Jam ſole infuſo, fuerit quæ prævia, ſeu lux;
    Seu tenebræ, paucis expoſuiſſe juvat.
At tu, Mnemoſyne, magno dilecta Platoni,
    Quid Mopſus puero dixerit, ipſa refer.

Tempore Mopſus eo claris vivebat Athenis,
    Mopſus Socratici gloria prima chori.
Utilis ille quidem bello, ſi bella fuiſſent,
    Cùm foret externo Græcia preſſa jugo;
Inſanos populi maturè ſprevit honores,
    Juráque perplexi fugit iniqua fori.

Non amor, aut dulces animum flexere hymenæi;
Ut tranquilla, thoro cælibe, vita foret.
Ille diem noctemque Deo libriſque vacabat,
Divinas animo conciliante dapes:
Ambroſiâque famem egregiam ſedare laborans
Scilicet, ac puro nectaris imbre ſitim.
Forma decens oculique,& Neſtoris æmula linguæ
Vox liquida, Hyblæo dulcior illa favo.
Simplex munditiis & cultu pura ſupellex,
Spirabant totâ florea ſerta domo.
Artibus exculti ſervabant atria vernæ,
Quos metus & juſti cura tenebat heri.

Subridens ergò & vultum ad Damona reflectens;
Macte animo, dixit, conſilioque, puer.
Stultitiam noſti,& prægnans tibi lumine mens eſt,
Officii quam ſit vera docere mei.
Nempe aliud quiddam ſcopus eſt finiſque bonorum,
Neſcia quod voto mens petit ægra ſuo.
Quæ, niſi concretas abigat ſol candidus umbras;
Non unquam eſt oculis meta videnda tuis.
Meta Deus, ſi quæris, ea eſt: hùc dirige curſum;
Et Deus optatæ fons tibi pacis erit.
Tu modò certa tuis adhibe medicamina morbis;
Nec tibi deſertâ ſit pudor ire viâ.

Delirant homines, & rerum vana ſecuti;
In mala præcipites & ſcelus omne ruunt;

Dum ſimulacra petunt, avidis quæ futilis offert
Ebrietas miris ludificata modis.
Utque puer motis in pariete luditur umbris,
Atque ubi ſunt larvæ, corpora vera putat;
Haud aliter, falſi tenebris & luce malignâ,
Jam nunc obſcuræ tempora mortis agunt.

Quippe animam, cæco quæ condita corporis antro
Vixit, ut obſcuro condita talpa cavo,
Morte obitâ, ſtupor & vitaï ſarcina tardat;
Noctuáque ad clarum nictat hiulca diem;
Et latebris terræ, buſtiſque ſilentibus errans,
Pallida nocturnos incutit umbra metus.
Quid loquar ut fato vultus induta ferinos,
Grunniat in ſpurcâ bellua turpis harâ?
Quin & adit fauces Erebi, vaſtaſque lacunas;
Torretur piceis & Phlegethontis aquis.
Et quandoque renatus homo poſt longa redibit
Secula; quæ multò fecerat antè, luet.
Culpa regit pœnam: jus dicit prætor, & ultrix
Adſtat ad inferni judicis ora cohors.
Illuc nuda venit: rapitur perſona, manet res
Sæpius heu! fœdis turpificata notis.
Eſt cui perpetuum det judicis urna dolorem;
Unde tremant aliæ, juſtitiamque colant.

At quæ, Muſarum ſacris operata, litârit,
Poſt mortem propriis viribus alta petet.

Alta petet ; claráque Deorum in ſede recepta,
Ducet formoſos & ſine nube dies.
Ut jam, ſipario ſpectans æterna remoto,
Integra pacatâ gaudia mente bibat.

Idcircò ſapiens, qui de ſtatione moleſtâ
Injuſſu ſummi nolit abire ducis,
Suſpirat cælum adſpiciens, & morte ſub ipsâ
Fundit olorinos, præfica læta, modos.
Socratis ut mortem perhibent, qui triſte venenum
Impiger haud alio perbibit ore ſenex,
Quàm, feſtis olim dapibus lætiſſima vina,
Sive tuis, Agatho, ſive, Philebe, tuis.

Adde quòd ipſe ſibi crux eſt malus; útque latendo
Fallere mortales poſſit & ille Deos,
Pœnam habet in ſe ſe, quâ vix Acheruſia major
Sontem in Tartareo gurgite pœna manet.
Contra autem, ingenuum ducit qui puriter ævum;
Quod nec quiſquam hominum, nec Deus ipſe ſciat,
Certè, nec Deus ipſe, (licet mihi ponere falſum,
Omnia cùm vigili ſint manifeſta Deo)
Pectore tranquillo, totius & ordine vitæ
Gaudet, inexhauſtis perfruiturque bonis.

Nec mala Dî miſêre bonis, ut nænia narrat
Vana, ſed ex illis quod fluit omne, bonum eſt;

Donec longà dies revehat conſtanter ad ipſum;
In quo ſunt hodie, ſidera cuncta locum.
Annus hic eſt verè, cujus quot vixeris horas,
Vixeris ut Pylii tempora longa ſenis?
Multa brevi fortes ævo jaculamur, & idem
Aut vapor, aut fumo tenuior umbra ſumus.

His mentem exerce ſtudiis, quibus illa ſubacta
Convertet viſus ad meliora ſuos.
Hæc ſenſus fugiunt, animóque objecta ſagaci,
Unius attentâ perſpiciuntur ope.
Accipe quæ quondam docto cum Socrate Phædrus
Gramineo lenti diſſeruêre thoro;
Propter aquam in luco, patulâ quà procubat um-
brâ
Ex illo Platanus nobilitata die.
Hic ſenior pulchro juvenem ſermone docebat,
Quæ lex eloquii judiciumque foret;
Ne fuci illecebrâ captus nugiſque canoris
Sterteret, ut magico vipera tacta ſono.
Namque monebat utì rerum perſpecta poteſtas
Diſtinctis eſſet ſignificanda notis.
Diſſita ſepones, ait, & communia junges;
E multis unum conficieſque genus.
Tum ſignare decet ſpeciem, & ſignata cavere
Ne confracta rudi ſint tibi membra manu,
Diripit ut leporem cœnæ pater: at ſua textor
Fila minutatim diſſocianda legit.

Tu

Tu pariter legito : pariter diviſa referto
Ad genus, inſigni quæque notata ſuo.
O ! mea qui tali regeret veſtigia filo,
Poſſum ego vel magnis adnumerare Deis.
Quæ quia mirificos fugit doctrina Sophiſtas,
Ludibrium noſtris ſæpe dedere jocis.
Phædrus ad hæc: iſtam pueri præcepimus artem,
Cùm legimus culto florea ſerta ſolo.
Nam primùm plenis ferimus confuſa caniſtris,
Et violam & variâ miſta liguſtra roſâ.
Mox genus & ſpeciem formâque & odore notamus,
Quæque ſit ornandâ gratior umbra comâ.
Utere Socratico monitu, Phædrique lepore,
Nec ſperes aliâ tutiùs ire viâ.

Hoc ubi : veraces jam tum circumſpice formas,
Et refer ad formam ſingula quæque ſuam.
Has exemplar habe, quod ab omni parte decorum
Extat perfecti regula ſumma Boni.
Quod ſemel ut totum cognoveris, ire licebit
Ultra naturæ, quod ſit in orbe, decus.
Nam, quæ nata vides, dicantur ut optima, numquam
Perfectæ numeros conditionis habent;
Sed labes vitiumque inſunt; lapidosáque cera
Effigiem ſigni non ſinit eſſe meram.

Sic neque corporibus pulchris hærebis amator;
Pura neque è genitis pax tibi rebus erit.
At, quanquam ſunt vota tibi cumulata, dolebis
Curtæ neſcio quid ſemper abeſſe rei.
Pulchra tamen quæ ſunt, & quâ ratione, videbis;
Naturæ ſeu ſint illa, vel artis opus;
Seu fœtus animæ, pulchro cùm ſubdita amori
Fit gravida, & nobis utiliora parit;
Qualia ſunt leges, & moribus apta regendis
Magnorum chartis illita ſenſa virûm.
Felix progenies, patri quæ ſola meretur
Templa ſuo & certum religione decus.
Ecquis enim ſanĉto ſuperûm dignatus honore eſt,
Quòd ſoboles ipſi clara potenſve fuit?
Cùm ſit legiferi templum ſublime Lycurgi,
Legifer & ſimili cultus honore Solon;
Et ſua Mœonio ſurgant delubra poëtæ,
Atque habeat ſacris thura merumque focis
Iliados pater & divini cantor Ulyſſei.
Tantus ab ingenii prole redundat honos!

Ne tamen, aſſiduè ſtudio defixus in illo,
Mirator Pulchri multa moreris iners:
Sed, quibus inter ſe gradibus diſtinĉta videntur
Pulchra, minuſque tibi pluſve decora nitent,
Tu ſcalam è gradibus facito, quâ nixus, ad ipſum
Aſcendes Pulchri pervenieſque caput.

Cujus ut ignotum ſubitò experieris amorem,
Sic, ſtultos reputans præteriiſſe dies,
Serò ego te novi, dices, at ſemper amabo,
O lux, ô vitæ norma ſaluſque meæ!

Hic porrò Deus eſt mundi pater, unius alma
Cauſa Boni, de quo dicere plura, neſas:
Ut, certos inter titulos & ſigna Deorum,
Admonet Ignoto nobilis ara Deo.
Natura excellens & inenarrabile numen
Res eſt cælitibus vix bene nota deis.

Sunt etenim naturæ aliæ, quos rite vocamus
Dæmonas, à ſummo quod genus omne Deo eſt.
Hos etiam dixere Deos. Pater ipſe miniſtris
Utitur, ac proprium cuique recenſet opus:
His operis mundi poſuit mirabile textum;
Atque horum vigili deinde gubernat ope.
Hi ſolem lunamque regunt: ſeu qualiter artus
Corporis induti ſpiritus intùs agit,
Seu veluti aurigæ, quorum prudentia currus
Dirigit, & celeres cauta coërcet equos.
Fonteſque fluvioſque tenent, rivoſque virentes;
Atque avidum immenſis quà patet æquor aquis.
Illi vota preceſque hominum ad cæleſte tribunal,
Aque Deo ad terras dona profecta ferunt:

Pinguis thuricremis dum victima volvitur aris;
Et micat implicito tortilis igne vapor.
Illi fatidicæ dictant reſponſa Sibyllæ,
Quæque pii vates, quæque Meliſſa canit.
At ne Palladio ducat te fabula peplo
Picta, vel Aſcræi carmen inane ſenis;
Nec, ſi quid pravi ſuperis adfingit Homerus,
Verum id, cum ſtolidâ plebe, piumque putes.
Hoc moneo, ne te vulgi ſententia fallat,
Quæ plures uno fingit inepta Deos;
Et, quibus illudant homines, adſcribit olympo,
Numina probroſâ fraudis inuſta notâ;
Unde petunt exempla mali, vitioque colorem,
Et ſceleri pietas, proh ſcelus! ipſa favet.
Tu verum colito; cui quòd ſervire putantur
Dæmones, his eſto more dicatus honor.
Non tamen ut ſperes perverti munere divos,
Quod miſeri vates, ad ſua lucra, docent;
Et nidore capi, vel carmine, vel ſtipe jactant,
Ac magicâ necti dæmona poſſe plagâ
Patronum ſceleris, qui, pro mercede, ſolutos
Dimittat pœnis eripiatve malos.
Talia nec credi mirum eſt, auctoribus iſdem
Unde timor ſuperûm relligioque venit.
Dîs geniti fecere fidem, ritusſque dedere,
Et ſtata luſtrandis myſtica ſacra viris;
Orpheus Calliopæ proles mentita camenæ,
Et Phœbi ſoboles, patre ſuperba, Linus.

Nec meliora canunt alii. Tu prava paciſci
Dæmonas, & vitio poſſe favere, nega.
Quos qui poſſe putant, pejus ſentire fatendum eſt,
Quàm qui rectores non putat eſſe Deos.
Sunt qui conceptis irritent numina votis,
Dum ſibi, dum natis exitioſa petunt.
Quid loquar Œdipodam, quid Theſea! recta precandi
Iſta ſit à docto tradita forma viro:
Seu petimus, ſeu non, bona, Dî, date; ſed mala, vel ſi
Poſcimus, extentâ pellite cuncta manu.
Rite Deum colere, eſt primùm dignoſcere qui ſit;
Tum vitâ & ſtudio nil niſi recta ſequi.
Vir ſapiens eſt vera Dei ſapientis imago;
Nil Deus in toto ſanctius orbe videt.

Quocirca curis animum laxare memento,
Atque ipſum in ſeſe, quâ potes arte, voca.
Proderit, emotos vacuum componere ſenſus;
Et ſanum impoſito corpus habere modo.
Ut ne luxuries, ut ne penuria ſolvat;
Utraque nam ſtudiis vis metuenda tuis.
Quæ, veluti clavis, animam cum carcere figit,
Cùm meliùs vinclis eripienda foret.
Corporeiſque adſueta bonis, adſueta dolori,
Nil, niſi quod ſenſu percipit, eſſe putat.

Et juvat audacem ſtudio miſcere palæſtram,
Quæ duo ſint animi pondera juſta tui.

Senſilis in causâ eſt vitio natura perenni ;
Quæ plagis animam verberibuſque fodit.

Ergo (ut porticibus Phœbi, COGNOSCERE TE IPSUM
Aurea vox, auro picta micante, jubet)
Te ſtudeas ipſum, atque in te confuſa videto
Quæque Deum faciunt ſemina, quæque feram.
En tibi præcelſam mens ardua poſſidet arcem,
Et dux in ſummo conſiliumque ſedet.
Quódque agitat ſecum ac tacito molimine volvit,
Innatum proprio parturit ipſa ſinu ;
Præteriti memor, ac venturi conſcia vates,
Cetera quæ præſens advehit hora, regit.
Et ſenſus (contendit enim,exploratque probando)
Qui noceant ipſi, qui faveantve, notat.
Nam, veluti motam perſentit aranea telam,
Una vel extremo ſi pede muſca ferit ;
Sic ea ſenſifero motu plagiſque cietur,
Quas amat, aut acri tacta dolore fugit.

Imprimis viſu capitur, gaudetque tuendo
Lubrica per certas aſtra meare vias.
Tum rebus dat ſe minimis, & ſemine in uno
Miratur magnum jam fruticare nemus.
Ordinis hæc virtus, homini qui cognitus uni
Dat ſapere, ac proprio ponere cuncta loco.

Primáque

Primâque perſpecto ſapientia ab ordine fluxit,
Pérque oculos noſtris tranſdita venit avis.
Quare mens oculis tota imminet, unde videri
Poſſit, & admotâ cernere cuncta face.
Qualis poſticum nubes cùm candida ſolem
Velat, & impreſſo picta colore micat;
Sic trans pupillæ nebulam ſeſe obvia pingit
Mens, velut objecto conſpicienda vitro.
Ipſa quidem illimis puræque ſimillima luci,
Turbida ſed nitidum contegit aura jubar.

Nec minùs auditu mens irritata movetur,
Cùm citharæ varias comparat illa fides;
Et juſtam harmoniæ ſtudeat perquirere cauſam,
Quæ fit ab adverſis, & tamen una, ſonis.
Qualem diſſimili faciunt volventia motu
Aſtra, per anfractus præcipitata ſuos.
Nil porro mentem perturbet flebilis ut vox,
Fractaque per molles emodulanda vias;
Carmine cùm citharæ oppoſito contraria nectens,
Adſonat imparibus muſa proterva modis;
Id metuit, pravíque ab imagine læſa recedit,
Ut ne, flexanimo victa lepore, cadat;
Muſica ſeu Phrygia eſt, quali cantare ſolebat
Aut Paris, aut aquilâ raptus ad aſtra puer;
Sive ea barbaricis reſonat quæ Lydia menſis,
Dum quatit argutum grata puella femur.

Dorica ſola ſuâ tibi ſimplicitate probetur:
Sola decet fortes Dorica muſa viros.
Illa dedit duros bello contundere Perſas;
Et poſuit noſtro terna tropæa ſolo.
Si rudis antiquam ſervaſſet Græcia muſam;
Nec foret Ioniâ languida facta lyrâ,
Staret adhuc, îſdemque animis, ut moribus, uſa,
Sperneret Auſonias inviolata minas.

Tactus item nocet, ac violenti cauſa doloris;
Gaudia ſollicito plena furore parit.
Proximus ad vitium eſt, adſciti gratia guſtûs,
Titillans placidè cùm ſubit ora ſapor.
Quæ duo ſi nimiâ mentem dulcedine mulcent,
Ebria non veris liquitur illa bonis.

Innocuus verò variorum ſenſus odorum eſt;
Limpida florifero cùm venit aura jugo,
Spirat & apricis in vallibus, unde apium vis
Cogit odorato roſcida mella favo.
Illa voluptatum placeat mihi ſola, quòd ipſam
Præcedit nullus ſubſequiturve dolor.

Atque ea cùm virtus animæ componere poſſit,
Offendique malis, & meliora ſequi;
Corpore ab ipſo aliam, cerebrive, aut ſanguinis æſtu,
Diſpoſitiſve aptè partibus eſſe vides.

Quæ ſi vidiſſent alii, deterrimus error
Non foret innumeris cauſa caputque malis;
Dum leto addicunt animam, ut ſecura libido
Gaudeat, ultores non habitura deos.
At, vitæ ſub fine, malum quem facta remordent,
Occupat ignotus perſequiturque pavor:
Et torquet vigilem, atque in ſomnis territat ægrum,
Ac ſubigit manes pacificare deos.
Suppliciis ergò votiſque ſenilibus ardens
Inſtaurat Stygio ſacra peracta Jovi.
Et pecudum infelix deleri ſanguine credit
Jam non contemptis acta pianda rogis.

Eſt qui partem animam divinæ dixerit auræ,
Nec bene judicio dixerit ille meo.
Et quanquam eſt ætate prior, quàm machina mundi
Condita tironum ſcilicet arte deûm,
Ipſa tamen facta eſt, neque enim ſe ſe ipſa creavit,
Quódque habet artifici debet id omne Deo.
At quia principium eſt à ſe ſibi concita motûs,
Ceteraque ex ipſa, quòd moveantur, habent,
Non eſt ut metuat mortem, poſſitve perire,
Cùm ſe non ullo deſerat ipſa modo.
Et ſemel extincto cujus vi cuncta moventur,
Succedat vaſto triſtis in orbe quies;
Omnia conſiſtant, neque ſit reparabile damnum,
Cùm vis nulla, iterùm quâ cieantur, erit.

Hinc illi imperium : populo ſed miſſa procaci ;
Vix habet imperio ſubdita corda ſuo.
Quilibet unus homo, regnum eſt ; ibi ſceptra gerit mens,
Si regnum certâ ſub ditione manet.
Hîc leo, militiæ ſimilis, præcordia ſumma
Poſſidet, ac vivo percitus igne, fremit.
Ima feræ indociles, ut vulgus inutile, volvunt
Paſtæ viſceribus progenitæque tuis.
Hîc lupus, hîc vulpes, membriſque ſalacibus hædi,
Paſſer, & Idaliæ turtur amata deæ.
Attentuſque draco, & pavonis gloria picti;
Et lepus, & vitæ neſcia concha ſuæ.
Gallus item, blandæque canes, & vipera fallax;
Simiáque abnormi lædere nata joco:
Concilium diſcors, animæque domeſtica peſtis;
Nec niſi præſenti turba domanda metu.
Illud homo eſt; pulchro pellis quod candida velo
Dum tegit, inſano cæcus amore peris.
Hæc cernes, ubi te Mentis Jove nata ſacerdos
Luſtrarit ſacrâ caſta Minerva face;
Quâ Tydeidæ oculos olim purgavit, ut internoſceret armatis numina miſta viris.
Dúmque aliquis vanâ ſpecie deceptus amabit;
Sic tibi non durâ voce monendus erit:
Eſt amor in nobis (juſto quis pugnet amori?)
Unde oritur noſtrum ſufficitúrque genus;

Cujus ut officio ſarcit natura ruinam ;
Sic, licèt intereant ſingula, cuncta manent.
Hac dilecta tenùs pulchro juvet ore puella ;
Namque amor in turpi ſegnis inerſque jacet.
Muniat illa tuam jucundâ prole ſenectam ;
Illa tuam notâ temperet arte domum ;
Libera nobilibus dum dividis otia curis ,
Et bona divino congeris ampla penu.
Aſt , ubi laſcivam cupidè miraris amicam ,
Plus tribuens homini quàm tribuiſſe decet ;
Dulce malum & grato peſtis confuſa veneno
Diditur in teneros , & fovet igne , ſinus.
Mox immane parit ſtimulis ardentibus œſtrum ,
Quod plagis agitet téque feráſque ſuis.
Nec potis es per te tantum ſedare furorem ,
Ah miſer , ah lacrymis optima cauſa meis !
D trahe , quâ caperis , ſpeciem , atque introſpice monſtrum
Quod colis , & dominam , ſtulte , deamque vocas.
Cerberus eſt quod amas , & eo deformior Hydra ,
Scylláque,& anguineâ torva Megæra comâ.

Mens igitur ſævique minas ungueſque leonis
Advocat , in rabidas arma movenda feras.
Ni faciat , ſociumque leo ſeſe hoſtibus addat ,
Obruta victrici ſeditione gemit.

Nec ſupereſt homini quicquam niſi nomen; at intus
Eſt fera vicinis dilanianda feris.
In ſpeciem timidi mutatum Actæona cervi;
Sic dominum vernæ diripuere canes.
Tu miſer anxiferis animum cruciabere morbis;
Ni premat iſta tuus monſtra ſubacta labor.
Et, quanquam eſt lædi melius quàm lædere quemquam,
Damnáque vir debet fortis inulta pati:
Suggeret ira tibi furias, ultróque laceſſes;
Ut leo concuſſâ cùm ferit ora jubâ.
Cetera, ad exemplum hoc, diverſum à tramite Recti
Diſtrahet ad proprias turba moleſta vias;
Nec bonus, aut ſapiens poteris juſtuſque vocari,
Sed mala & in clades nata Chimæra tuas.
Nonne vides, quando dapibus vinóque ſepultæ
Eripuit menti ſceptra tenenda ſopor,
Quæ Furiæ illudant, quæ monſtra nefarius error
Cogitet, ínque homines impius ínque deos?
Hæc eadem admittes vigil, atque inſomnia vinces
Ebria, flagitiis inferiora tuis.
Namque, locum ut turbâ cedit mens victa protervâ,
Nec pudor in ſpecula, quâ ſtetit antè, manet;
Concurrunt properè vitia, & regina Libido
Dira coronatis vecta triumphat equis.
Non ſecùs atque olim, pulſo plebs impia rege,
Eligit inſanos, nec timet ipſa, duces.

Tum fas eſt quodcunque libet: tum jurgia gliſcunt,
Ulla nec indomitum vulgus habena regit.
Dúmque ratem excuſſo certant inhibere magiſtro,
Saucia ſaxoſis frangitur illa vadis.
Ecce ferox imâ populi de fæce tyrannus
Loráque ſacrilegâ prendit & arma manu.
Stultitiæ quatit ille faces, urbemque pererrans
Imminet occultis peſtis acerba bonis.
Dira cohors prædonem acuit, ſcelerumque miniſtra
Disjicit urbanas depopulata domos.
Sicut apes crabro imparibus dum territat armis;
Ardentes fuci non ſua mella vorant.
Et ſemel humano ſi tinxerit ora cruore,
Gaudet anhelanti ſævior ire lupo.
Ut, qui ſacra Jovi guſtat porrecta Lycæo;
In quibus intriti ſorbeat exta viri,
Extemplò lupus eſt; ac terrifico ululatu
Per deſolatos bellua ſævit agros.
Ingemit urbs oppreſſa malo, legemque repoſcit,
Fruſtra, & perverſis tradita ſentit heris.
Talem crede animam, cupidis quæ cæca magiſtris
Ceſſerit imperii fræna regenda ſui.

Sed nil pulchrius eſt placidáque beatius urbe;
Quam ſimplex Recti norma pudorque regunt.
Mens bona quæ genti legem dedit, ipſa volentes
Erudit æquato ſubdere colla jugo.

Regis amor populus, populi rex : certat uterque,
Hic ſe paſtorem dum probat, ille gregem.

Plus facit exemplo quàm vi confiſa poteſtas.
Attamen in caro vi grege paſtor agit ;
Caſtigatque urgetque pedo, canibuſque coërcet
Dilapſum incauto per loca ſola pede.
Non ut lædat oves, at ne, ſi longiùs errent,
Vicino pereant præda parata lupo.
Pœnarum ſcopus. ad ſummum, compeſcere ferro
Cogitur inviſi ſemina dira mali,
Et, ne grex totus pereat, reſcindere partem,
Quæ ſibi, quæ toti eſt pernicioſa gregi.
Ille manu curat medicâ, atque potentibus herbis;
Ille etiam infirmas carmine mulcet oves;
Gramina per virides dum carpunt roſea ſaltus,
Aut ſubeunt altum, ſole calente, nemus.
Hæc fortunatæ tibi ſit, puer, urbis imago,
Quam tua ſi referat vita, beatus eris.
Quiſque ſuas illic partes habet : eminet unus,
Vivida lux populi præſidiumque ſui :
Qui plebem ſtolidam atque externos corrigat hoſtes,
Adloquii quod ſit, vel grave Martis opus.
O! quæ tum ſpecies, ubi ſanæ reddita genti
Pax habet in proprio ſingula quæque loco!
Hîc natos pater & puerorum examina curat,
Virtutemque animis, quâ viget ipſe, ſerit.

Ipſâque longævum proles venerata parentem,
Sanctius in totâ nil putat eſſe domo;
Quamvis indigetes habeant ſacraria divos,
Offerat & ſancto dona preceſque Lari.
Omnia tunc florent, ac rerum lucidus ordo
Ejus, quo cælum volvitur, inſtar habet.
Da, pater, hanc animis formam, Deus, indere noſtris,
Atque erit hæc cunctis vita referta bonis.

Hæc ſuper ingenii cultu morumque docebat
Mopſus ab antiquo ſcripta Platone ſenex.
Omnia ſincerâ Damon quæ mente recondit,
Ut ſeges occato ſemina pura ſolo.
Mopſus ait: Sunt iſta, meâ quæ voce moneri
Sit ſatis, ætati conveniantque tuæ.
Cetera nam teneris ævi finguntur ab annis,
Ut bene quis primò vel male doctus erit.
At, nuper tali qui te ſermone laceſſat,
Fecerit adloquii tædia longa ſui,
Virtutique odium, non conciliârit amorem;
Intempeſtivâ doctor ineptus ope.
Adjiciet potiora Deus, fructuſque daturam
Cæleſti facilis rore fovebit humum.
Profuit egregio juveni, cui cognitus ordo;
Cui Deus excelſæ regula mentis erat;
Ordine digereret cùm ſe & ſua; ſcilicet ut mens
Serva Deo, menti cetera ſerva forent.

Quid faceret ? nondum ille Dei ſancita cruore,
Noverat Ebræo tradita ſacra Syro.
Quod ſimul oſtenſum ſuſpexit Græcia lumen :
Mentem animi noſtro ſubdidit ille Deo,
Tempore quo Christi præportans lampada Paulus
Spectandam Ogygiâ Martis in arce dedit.
Senſit enim lucemque animi, atque ardeſcere pectus
Quo purgata Deus corda calore fovet;
Agnovitque Deum, atque Dei correptus amore eſt,
Concepitque pio gaudia ſancta ſinu;
Quíque priùs creperâ dubium rationis in umbrâ,
Pòſt Christi certum ſub face carpſit iter.

ΟΙΝΟΠΙΩΝΟΣ*

ΜΕΛΗ.

* *Gallicè* Boivin.

I.

ΕΠΙ ΤΗ ΝΙΚΗ

ΗΝ Η ΤΟΥ ΔΑΓΕΣΣΕΩ ΣΥΝΕΥΝΟΣ

ΤΟΝ ΟΙΝΟΠΙΩΝΑ

νενίκηκεν ἐλεφαντίνῳ στρατεύματι.

Ἥφαιστέ μοι τόρευσον,
Ποτήριον μὲν οὐχί·
Νόμισμα δ' ἠΰκυκλον,
Χρύσειον. ἐν δὲ μέσσῳ
Σεμνήν, καλήν, πάνοπλον,
Δαφνηφόρον γυναῖκα
Ποίησον, Ἀφροδίτην,
Ἥρην τε καὶ Ἀθήνην,
Σύντρεις ὁμοῦ κεράσας.
Χεροῖν δὲ τῇ μὲν ὑψοῦ
Φερέτω ταχυπτέροιο
Νίκης ἄγαλμα μικρόν·
Τῇ δ' ἀντὶ φασγάνοιο,
Ἀντ' ἔγχεος, κραδαίνοι
Ἐλεφάντινον μαχητήν·
Λευκοῖς δ' ὑπαὶ πόδεσσιν
Ἐστρωμένον πατείτω
Παλαμήδεος νεογνοῦ
Θεημάχον φρόνημα.

III.

ΤΗ ΤΟΥ ΔΑΓΕΣΣΕΩ ΣΥΝΕΥΝΩ

ΟΙΝΟΠΙΩΝ

αἰτῶν ὄνομα τῷ ἑαυτοῦ παιδὶ τῷ νεογόνῳ.

Τρισολβίου μάκαιρα
Δαγεσσέω συνέυνις,
Ἄνασσα, λίσσομαί σε·
Εἰ δὴ μόνην σε φόρμιγξ
Ἐμὴ πάλαι κλείζει,
Καὶ δὴ τὴν ἀοιδαῖς
Νεωπαίπαις ἄεισα
Νεωπαίτην λοχείην;
Ἐρωτύλοις ὅμοιον
Πλημμῶνα πρῶτος εἰπών·
Ἄγε, βρέφος νεογνὸν,
Τό μοι φίλης γυναικὸς
Πρώτη δέδωκεν ὠδὶς,
Φίλαις δέχοιο χερσὶ,
Παλιγγενῶν θ' ἀγνοῖσι,
Λελυμένην λοετροῖς
Δὸς οὔνομ'. ἔσεται δὲ
Καλὸν τόπερ σὺ δοίης·
Πᾶν γὰρ καλὸν τὸ πάρ σου.

IV.

IV.

ΤΑ ΕΝ ΤΗ ΒΑΛΙΓΚΟΥΡΤΙΟΥ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ ΤΩΝ ΣΟΦΩΝ

ΑΓΑΛΜΑΤΑ

τῷ τοῦ ΔΑΓΕΣΣΕΩΣ *μέλλοντι συμπαρεῖναι.*

Ἄγε δὴ σοφῶν Δαγεσσεῦ
Ἐς ὁμήγυριν καλεύντων
Ταχὺς ἐλθέ. τί βραδύνεις;
Ὑπάτης ἴδ' αὐτὸς ἕδρης
Ῥέα Σωκράτης ὑπείξει,
Ὁ πάλαι σοφῶν ἄριστος,
Πολὺ νῦν σοφῶν ἀρίστῳ.

V.

ΚΑΤΕΛΥΣΙΟΥ

ΚΑΙ

ΔΑΓΕΣΗΙΔΟΣ

ἐπιθαλάμιον.

Ὁ Θεὺς Ἔρως βροτὺς τι
Δαμάσαις, μίαν δὲ μώναν
ΔΑΓΕΣΗΙΔ' οὐ δυνηθεὶς,
Παρὰ μητρὶ παῖς ἔκλαιεν.
Κυθέρεια δ' εἶπε· θάρσει,
Φίλε παιδίον. φράσω γὰρ
Δόλον, ᾧ κόρην μάλ' αἶψα
Ὑπὸ χεῖρ' ἔχοις ἀλῦσαι·
Ἴθι· Κάλλος, Εὐγένειαν,
Ἀρετήν τε, τρεῖς ἀρωγοὺς,
Συνάγειρε. ποῖ δ' ἄρ, ἢ δ' ὅς,
Τὰ θεῶν μέγιστα δῶρα
Συνομοῦ τρί' ἄν τις εὕροι;
Ἓν ἐνὶ τρί' ἂν σύ γ' εὕροις,
Ἔφαθ' ἡ Κύπρις· ὁ δ' εἶπεν·
Ὃν ἔφης, ἔχω. πάρεστιν.
Ἅμα δ' ἄνδρα καλὸν, ἡδὺν,
Θεοείκελον, γένος τε

Ἀριπρεπεῖσι κοσμέοντα,
ΔΑΓΕΣΗΙΔΟΣ καθίζει
Κατεναντίον τί πλείω;
Ἔρος εὐθὺ καλλίνικος,
Ὑμὴν, ὦ Ὑμὴν, ἀείδει.
Ὑμὴν, ὦ Ὑμὴν, ἅπαντες
Ἀναμὶξ κοῦροι κοῦραι τε
Βοόωντες ὀλόλυξαν.

VI.

ΔΑΓΕΣΣΕΩΣ ΠΑΙΔΩΝ

πρεσβυτάτῳ,

τὸν μελοποιὸν ὑπὲρ ἐπαινέσαντι.

Τί μακκόλει, ΔΑΓΕΣΣΕΥ,
Μέγαν λέγεις; μάτην δή·
Λέγων γὰρ οὐχὶ πείσεις,
Ῥήτωρ περ ὢν μέγιστος,
Καὶ ῥητόρων μεγίστου
Παῖς τε καὶ μαθητής.

VII.

ΑΝΝΗΣ ΤΗΣ ΔΑΚΕΡΙΑΣ

τελευτησάσης

ΑΝΑΚΡΕΩΝ ΚΛΑΙΩΝ.

ΑΝΑΚΡΕΟΝ, τί κλαίεις,
Τὰ πρὶν γελῶν, καὶ ἁβρὰ
Γελῶσι συγχορεύων
Ἔρωτι καὶ Λυαίῳ;
Αἲ αἲ, ὄλωλεν Ἄννη·
Ὄλωλεν ἡ φίλυμνος
Ἐμῶν μελῶν ἀοιδὸς·
Ὄλωλεν ἡ λυθεῖσα
Τῆς βαρβίτου τὰ νεῦρα,
Ὅλην τε βάρβιτόν μοι
Ἐς βέλτιον μαθοῦσα
Μόνη μεθαρμόσασθαι.
Αἲ αἲ, ὄλωλεν Ἄννη·
Ἄννη, σοφῶν τὸ θαῦμα·
Ἄννη, μέλημα Μουσῶν·
Ἄννη, κλέος γυναικῶν.
Ὄλωλε· σὺν δ' ἅπαντα
Ἀπώλεθ' εἰς γένεθλα·
Λοιπὸν δ' ἐμοὶ τὸ πενθεῖν,
Στένειν τε, καὶ βοῆσαι,
Αἲ αἲ, ὄλωλεν Ἄννη.

VIII.

ΣΩΚΡΑΤΟΥΣ ΕΙΚΩΝ.

Ἄγε Σωκράτην, ἀκωκὴ
Νεοθηγέος μολίβδου,
Γράφε· παντελῆ μὲν οὐχὶ
Κεφαλὴν δὲ ταυρόμορφον.
Γράφε δὴ μέτωπον εὐρύ.
Λασίαις δ' ὑπ' ὀφρύεσσι
Κυαναυγὲς ὄμμα λάμποι.
Ἀνάσιμος ὑπτίη ῥὶς
Ἀναχασκέτω, πνέουσα
Σοφίης γλυκεῖαν αὔρην.
Κροτάφους πέριξ καὶ ὦτα
Σκιάοι κόμη βραχεῖα.
Στόμα δ' ἄμφι καὶ γένειον
Δασύθριξ πλέκοιτο πώγων.
Στόμα τοι σεσηρὸς, ἡδὺ
Χαρίεν τε μειδιώη,
Ἅτε δὴ γελῶν σοφιστὰς
Ἀτόπων λόγων ἀφύκτοις
Πεπεδημένους ἀνάγκαις.
Βροτέης ἄγαλμα μορφῆς
Ἐτελέσσαμεν, μόλιβδε·
Φρένα δ' ἄμβροτον τυπῶσαι;
Τεὸν οὐκ, ἀτὰρ Πλάτωνος,
Κλεομήδεός τε θείῳ
Πανομοίιου Πλάτωνι.

IX.

Τῶν Ὁρατίου Vixi puellis, &c.

ΠΑ'ΛΑΙ ποτ' οὐκ ἀηδὴς
Ὁμίλεον κόρῃσι·
Πάλαι ποτ' οὐκ ἀγεννὴς
Ἔρωτος ἐν ἀέθλοις
Διέπρεπον μαχητής·
Νῦν ὅπλα κἀν γλυκείαις
Τετριμμένην μάχαισι
Τὴν βάρβιτον δεχέσθω
Ὁ τοῖχος, ὃς τὸ πλευρὸν
Θαλασσίης φυλάσσει
Ἀριστερὸν Κυθήρης.
Νῦν δεῦτε νυκτιλαμπεῖς
Κλίναρθρ' ὧδε πεύκας,
Μοχλούς τε, καὶ τὰ τόξα
Ἐναντίαις μαθόντα
Ἀπειλέειν θύρῃσιν.
Ἀλλ' ὦ μάκαιρα, Κύπρου
Εὐδαίμονος μέδουσα,
Σιθωνίων τ' ἄμοιρον
Ὄμβρων ἔχουσα Μέμφιν,
Σύ μοι, θεῶν ἄνασσα,
Δυσήνιον ἱμάσθλῃ
Μεταρσίῳ βαλοῦσα
Χλόην ἅπαξ δάμασσον.

X.

In ſacrilegum Regiæ Bibliothecæ expilatorem, Diræ.

IAmbe (nam tu fraudis acer improbæ
Vindex) latronem perfidum celeri pede;
I, ſequere, latebris antequàm condat caput;
Minifque torvus verbera, & diris age,
Et his paventem vocibus circumſona.
Quò, quò nefandi ſceleris artifex fugis;
Hoſtis parentum, patriæ, Regis, Dei?
Spoliis onuſtus hoſpitum Batavos petis,
Quos deinde parili fraude fallas hoſpites,
Cùm tempus, & res, & libido ſuaſerit?
Tu ſacra Muſis auſus es donaria,
Tu ſancta Phœbi templa diripere impius?
Non te benigni promptus Æditui favor,
Non hoſpitalis menſa, non Antiſtitis,
Non incolarum numinum reverentia,
Non ipſius verenda majeſtas domûs
Repreſſit? O vos, nota quorum nomina
Repetit ſceleſtus prædo, vos Muſis favens
Vos Phœbo amicum teſtor Hollandum genus;
Veſtroſne tutam ſalvus in portus vehet
Pirata prædam? Fallor? an fremitum audio
Vatum, feraci terra quos fundit ſinu

Arctoa? Denſum reſpice agmen, furcifer;
Clamore furem perſequentûm. Non vides?
Hinc vibrat ore fulmina Perizonius,
Illinc tremendâ voce Gronovius tonat.
Effuſa paſſim provolat juvenum manus;
Reperire dirum quiſque raptorem furit,
Perjura cujus fallit hoſpitem fides,
Qui jura violat ſancta, qui temnit Deos;
Fraudemque cunctis obfuturam poſteris
Committit ultro, cujus ob noxam unius
Iratus, omnes arcet ædis limine
Apollo alumnos, & fores obdit ſacras.
Ite, ite docti docta proles Grævii,
Douſæ recentes, & recentes Meurſii,
Magnoque dignus Heinſio ſi quis nepos;
Ite, ite, tetrum facibus, & ferro caput
Impetite: non vos flectat ejulatio,
Non miſera curvet ſupplicis querimonia;
Immenſa captum nil juvent mendacia.
Sectus flagellis, gutture eliſo, vomat
Animam nocentem victima orco debita.
Affixa palo membra corvi differant.

Iambe, quid moraris? i, celeri pede
Sequere latronem perfidum, & diris age.

GULIELMI

GULIELMI
MASSIÆI
CARMEN.

GULIELMI MASSIÆI CARMEN.

CAFFÆUM.

UT primum in noſtras Caffæum venerit oras,
Divini laticis quæ ſit natura, quis uſus,
Quàm præſens homini contra genus omne malorum
Auxilium ferat, hinc facili deſcribere verſu
Incipiam. Vos ô blandi, vos ſæpe liquoris
Vim dulcem experti, ſi nunquam veſtra fefellit
Vota, nec eventu ſpes veſtras luſit inani,
Eſte boni, & noſtris facilem date cantibus aurem.

Túque adeò, cui vim herbarum plantaſque ſalubres
Noſſe datum, & triſtes membris depellere morbos;
Adſis, Phœbe, ſavens: nam te quoque muneris hujus
Auctorem eſſe ferunt: populis tua pandere dona,
Et totum latè liceat vulgare per orbem.

Trans Libyam longè, & tumidi ſeptem oſtia Nili,
Quà ſe Aſia immenſis aperit lætiſſima campis;
Dives opum variarum, & odoris conſita ſylvis
Pandit ſe regio; veteres coluere Sabæi.
Credo equidem, natura, parens illa optima rerum,
Hanc ſedem ante alias tenero dilexit amore.
Hìc ſemper cæli ſpirat clementior aura;
Mite ſoli ingenium; hîc alieno tempore flores,
Et fœtus varios gravido parit ubere tellus,
Cinnamaque, & caſiam, myrramque, & olentia thura.
Illas inter opes, & ruris dona beati,
Ad ſolem medium converſa, auſtroſque tepentes,
Sponte ſuâ ſuperas arbor ſe tollit in auras,
Nuſquam alibi veniens, priſciſque incognita ſeclis.
Illa quidem mole haud ingens, non brachia longè
Diffundit patula, aut cælo caput ardua tollit.
Verùm humilis, myrti in morem lentæque geniſtæ,
Surgit humo; dites curvat nux plurima ramos,

Parvâ, fabæ ſimilis, pallenti fuſca colore,
Quam tenuis medio diſtinguit cortice rima.
Hanc adeò noſtros plantam traducere in agros
Multi tentarunt, atque omni educere curâ,
Nequicquam: neque enim ſtudio votiſque ſerentûm
Reſpondit ſeges, & longum fruſtrata laborem
Ante diem in tenerâ radix exaruit herbâ:
Seu cæli hoc factum vitio, ſive invida tellus
Sufficere apta neget peregrinæ pabula plantæ.
Quare age, Caffæi quiſquis capieris amore,
Ne te, Arabum longè ſummoto ex orbe, ſalubrem
Accerſiſſe fabam pigeat: namque illius alma
Hæc patria eſt: blandus primùm è regionibus illis
Per gentes reliquas fluxit liquor; inde per omnem
Europam atque Aſiam, & totum diffunditur orbem.

Ergo quod ſatis eſſe tuos cognôris in uſus,
Tu longè antè para: largam ſit cura quotannis
Collegiſſe penum, & parva horrea providus imple.
Ut quondam, multò antè memor prudenſque futuri,
Colligit è campis ſegetes, tectiſque reponit
Agricola, & curas venientem extendit in annum.
Nec minùs intereà reliqua eſt curanda ſupellex:
Vaſcula ſorbendo non deſint apta liquori,
Ollaque, cui collum anguſtum, ſub tegmine parvo,

Cui ſenſim oblongum venter turgeſcat in orbem:
Cùm proviſa tibi hæc fuerint : ſit proxima cura
Et torrere fabas flammis , & frangere toſtas.
Nec ceſſet multo contundere malleus ictu ,
Donec duritiem ponant , penitùſque ſubactæ
Exiguus fiant pulvis : quem protinùs abde
Aut ſacco , aut tali fabricatâ pixide in uſus ,
Et corio involve , ac molli circùm illine cerâ ,
Ne pateant rimæ anguſtæ , occultique meatus ;
Quos niſi præcludas , furtivo tramite ſenſim
Particulæ tenues , & quicquid purius extat ,
Totaque vis vacuas abeat dilapſa per auras.
Eſt etiam parvæ in ſpeciem cava machina turris ,
Quam dixere molam ; toſtæ quâ munera frugis
Atterere , & crebro poſſis contundere frictu.
Nucleus in medio , facili verſatilis axe ,
Ænea contorquet ſtridente volumina buxo.
Scilicet axis apex capulo transfixus eburno ,
Qui manibus verſandus erit , per mille recurſus ,
Mille per & gyros nucleum ciet. Huc ubi glandem
Injicies , capulumque manu currente rotabis ,
Haud mora , ſub multo raptim crepitantia morſu
Pulveris in morem minui mirabere grana.
Quæ contuſa ſemel gremio capit hoſpite cella
Inferior , capſæ fundo interiore repoſta.
At quorſum hæc autem circùm leviora moramur ?
Nos majora vocant. Jam dulcem haurire liquorem

Tempus erat, ſeu cùm primi ſub lumina ſolis
Mane novo poſcit jejunus pabula venter;
Splendida ſeu lautæ cùm poſt convivia menſæ
Oppreſſus nimiâ ſtomachus ſub mole laborat,
Externique impar petit adjumenta caloris.
Ergo age, ſuppoſito cùm jam olla rubeſcit in igne,
Jamque tumeſcentem commixto pulvere lympham,
Cernes circùm oras ferveſcere, ſubtrahe flammis.
Ni facias, ſubitò exundans erumpat aquæ vis,
Et laticem incluſum ſubjectos ſpargat in ignes.
Quare, ne ſimilis tua turbet gaudia caſus,
Sedulus obſerves, cùm jam ſe non capit unda;
Exultatque æſtu: dein ollam terque quaterque
Redde foco, medio dum pulvis in igne vaporet;
Atque ſuperfuſæ penitùs ſe immiſceat undæ.
Arte coqui debet blandus liquor, arte bibendus,
Non quo more ſolent alios haurire liquores.
Namque ubi fumantem rapido ſubtraxeris igni,
Et ſenſim fundo fæx tota reſederit imo,
Non illum impatiens uno libaveris hauſtu:
Sed potiùs ſorbe paulatim, interque bibendum
Dulces necte moras, & longis tractibus hauri
Exſugens; dum fervet adhuc, uritque palatum.
Tunc etenim melior, tunc intima permeat oſſa,
Et ſeſe penitùs præcordia in ima, medullaſque
Inſinuans, vegeto membra irrigat omnia ſucco.
Sæpe etiam è fundo quæ ſursùm purior aura

Exiliit, totis illam excepere trahentes
Naribus; in dulci tanta eſt nidore voluptas.
Jamque hîc reſtabat noſtri pars altera cœpti;
Divini occultas laticis recludere vires.
Eximias ſed quis ſperet comprendere dotes;
Et tam magna ſequi miracula poſſe canendo?
Namque ubi ſecreto penetravit in ilia lapſu,
Intùs agens ſeſe, vitalem in membra calorem
Inſpirat, lætumque afflat ſub pectore robur.
Tum ſi quid crudi eſt, admixto concoquit igne;
Occultaſque vias paulatim, & tenuia laxat
Spiramenta, quibus ſe trudat inutilis humor;
Et totis fugiant morborum ſemina venis.
Quare agite, ô! veſtræ vobis ſi cura ſalutis;
Vos queis propendet triplex in pectora mentum;
Qui tardum magno trahitis molimine ventrem,
Vos decet imprimis calido indulgere liquori.
Namque malam humorum, quæ veſtros obruit artus,
Colluviem coquet, & ſudoris corpore toto
Proliciet rivos: nec longum tempus, obeſi
Paulatim tumor incipiet decreſcere ventris,
Oppreſſoſque artus injuſtâ mole levabit.
Felices populi, quos primo lumine Titan
Aſpicit exoriens! Hîc Bacchi largior uſus
Non unquam nocuit: laticem libare Lyæum
Lex & ſacra vetant: Caffæo hîc vivitur: ergo
Hîc lætis agitant florentes viribus ævum,

Et quid ſint morbi, ignorant, quid filia Bacchi
Lautitiæque comes podagra, & quæ fœdere pacto
Innumeræ noſtrum peſtes graſſantur in orbem.
Nec minùs & triſtes pellit de pectore curas,
Exhilaratque animos almi vis blanda liquoris.
Vidi aliquem, dulci ſeſe cùm nectare nondum
Proluerat, lento taciturnum incedere greſſu.
Triſte ſupercilium, & tetricis frons aſpera rugis.
Idem vix dulci guttur perfuderat hauſtu,
Haud mora, contractæ fugiebant nubila frontis,
Gaudebatque omnes ſalſis aſpergere dictis.
Non tamen hi quenquam riſu affectantur amaro;
Nec liquor innocuus lædendi inſpirat amorem.
Virus abeſt, blandique placent ſine felle cachinni.
Atque hic in toto mos eſt Oriente receptus,
Jamque peregrinum tu ſervas, Gallia, morem,
Potando in vicis Caffæo publica tecta
Ut pateant. Invitat euntes penſile ſignum,
Aut hedera, aut laurus. Huc totâ ex urbe frequentes
Conveniunt, & grata diem per pocula ducunt.
Cùmque ſemel tepido incaluit mens icta vapore;
Tunc rixæ dulces, jucundaque jurgia gliſcunt:
Fit ſtrepitus, feſto reſonat vicinia plauſu.
At nunquam epotus mentes liquor obruit ægras.
Quin potiùs, ſiquando oculos ſopor urget inertes,
Menſque hebet, & torpent obtuſæ in corpore vires;

Somnum oculis, ſegnem fugat imo è corde veternum.
Quare his profuerit dulci ſe aſpergere rore,
Queis longi incumbit ſeries immenſa laboris,
Quoſque opus eſt ſtudium in ſeras extendere noctes.
Atque hîc, quis blandi laticis monſtraverit uſum,
(Nam virtus latuit multos ignota per annos)
Expediam, & primâ repetens ab origine pandam.
Ducebat teneras ad paſcua nota capellas
Paſtor Arabs: illæ errabant per devia teſqua,
Tondebantque herbas; multis cùm turgida baccis,
Nuſquam viſa priùs, ſeſe illis obtulit arbor.
Continuò, ut poterant humiles contingere ramos,
Incipiunt crebro frondes convellere morſu,
Et teneros carpunt fœtus: invitat amaror.
Neſcius intereà molli ſub gramine paſtor
Cantabat, ſylviſque ſuos narrabat amores.
At poſtquam exoriens campis decedere veſper
Admonuit, ſaturumque gregem ſub tecta reduxit,
Senſit oves molli non claudere lumina ſomno,
Sed mirâ præter ſolitum dulcedine lætas
Per totam noctem ſaltu exſultare petulco.
Obſtupuit ſubitâ trepidus formidine paſtor,
Atque hæc fraude malâ vicini, & carmine demens
Ac magicis fieri putat artibus. Haud procul inde

Auguſtas ſedes ſecretâ in valle locârat
Sancta manus Fratrum, queis Divûm pſallere laudes
Cura erat, & meritis onerare altaria donis.
At quanquam magno per noctem rauca tumultu
Obſtreperet campana, ſacramque vocaret in ædem,
Illos ſæpe toro properans aurora morantes
Repperit, oblitos mediâ conſurgere nocte:
Tantus amor ſomni. Præerat ſanctæ arbiter ædi
Longævus Senior, moderabaturque volentes,
Canitie multâ capitis barbâque verendus.
Hunc paſtor feſtinus adit, remque ordine narrat,
Auxilium implorans. Senior ſub pectore riſit.
Ire juvat, cauſamque rei explorare latentem.
Ut ventum in colles, permixtos matribus agnos
Ignoti cernit fruticis corrodere baccas.
Atque, Hæc cauſa mali, exclamat: nec plura locutus,
Extemplò teretes gravidâ legit arbore fœtus,
Fertque domum, tritoſque in purâ diluit undâ
Igne coquens, pateramque ingentem interritus haurit.
Continuò calor it venis, diffuſa per artus
Vivida vis, pulſuſque ſenili è corpore languor.
Tum demum invento Senior ſibi munere lætus
Gratatur, fratreſque bonus partitur in omnes.
Olli certatim, primæ ſub tempora noctis,

Suavibus indulgent epulis, & grandia ſiccant
Pocula: nec jam illis molli decedere lecto,
Ut priùs, & dulcem labor eſt abrumpere ſomnum.

O fortunati, quorum præcordia dulcis
Sæpe lavit liquor! Haud illorum pectora ſegnis
Torpor habet: vegeti præſcripta ad munia ſurgunt,
Et primi gaudent prævertere luminis ortum.
Vos quoque, queis cura eſt divino paſcere mentes
Eloquio, dictiſque animos terrere nocentûm,
Vos etiam blando decet indulgere liquori.
Scilicet invalidum firmat latus; acer in artus
Hinc gliſcit vigor, & toto ſe corpore fundit.
Hinc veſtræ veniet nova vis, nova gratia voci.
Vos autem, infeſti quos vexant ſæpe vapores,
Queis ægrum importuna quatit vertigo cerebrum,
Eja agite, in dulci præſens medicina liquore eſt;
Nec tenues alius melior componere fumos.
Has ipſi, ut perhibent, vires inſevit Apollo:
Res eſt digna cani. Phœbei montis alumnos
Hæc quondam invaſit capiti infenſiſſima peſtis.
Graſſatur latè, cerebroque illabitur imo.
Jam tota hoc morbo gens ingenioſa laborat,
Deſertæque ſuis languent cultoribus artes.
Pars etiam morbum ſimulat, fictumque dolorem
Prætendens, vitæ ſeſe devovit inerti.

Diſplicet ingratus labor; exitialis ubique
Gliſcit mollities; curarum, operumque ſolutos,
Securæ cunctos juvat indulgere quieti.
Non tulit ulteriùs multùm indignatus Apollo
Noxia tam blandæ contagia ſerpere labis.
Utque omnem poſthac fingendi vatibus anſam
Eriperet, diti è gremio telluris amicam
Elicuit plantam, quâ non præſentior ulla
Seu feſſum ſtudiis animum reparare labori,
Sive importunos capitis lenire dolores.

O planta, humano generi data munere Divûm,
Non tibi plantarum è numero certaverit ulla.
Te propter noſtro ſolvunt è littore nautæ,
Ventorumque minas, ſyrteſque atque horrida ſaxa
Impavidi exſuperant: almo tu germine vincis
Dictamnum, ambroſiamque, & odoriferam panaceam:
Te triſtes fugiunt morbi: tibi ſemper adhæret
Fida valetudo comes, & lætiſſima turba
Garrulitas, rixæque leves, dulceſque ſuſurri.

JOSEPHI

JOSEPHI OLIVETI

ECLOGA.

ORIGO SALINARUM BURGUNDIÆ.

AD CLAUD. FRAGUERIUM.

ROMANÆ fidicen citharæ, quo ſoſpite priſcas
Nunquam barbaries inimica fugaverit artes:
O utinam doctæ poſſim dulcedine vocis
Aſſiduum, qui te cruciat, mulcere dolorem!
Quanquam, ſi poſſent, animæ pars optima noſtræ,
FRAGUERI, immites depellere carmina morbos;

Quam mea tentat opem, melior tibi Muſa dediſſet
Jam tua, quæ Flacci fuerat priùs, atque Catulli.
Sed tamen his vacuas præbebis cantibus aures
Pauliſper, teque nec dedignabere luſus.
Vera loquar: patriâ nimirùm in valle Napæas;
Inclyta mutatæ canerent cùm fata Salinæ,
Audivi puer, & numeros ac verba notavi,
Lentus in umbroſo recubans quæ gramine paſtor
Corticibus deſcripta legit jam grandibus; olim
Me teneris memini mirantem incidere fagis.

Quæ nunc decurrit noſtris è collibus unda;
Et lætos circùm ſalſo rigat ubere campos,
Antè puella fuit. Furtivo candida partu
Phyllodoce, ut perhibent, pelagi ſub rupe cavatâ
Ediderat patri ſimilem. Stellantia purâ
Lumina fronte micant: flavæ per colla renident
Alba comæ: Phœbi ſcires è ſanguine cretam.
Ergo in prole ſuos agnoſcere lætus honores,
Occiduo quoties permenſos æthera currus
Gurgite demergit, mora nulla, reviſere Nympham
Patrius urget amor. Dicebat ſæpe: Beati
Hoc ſumus, humanis quoniam ſuccurrere rebus
Perpetuus nobis labor, atque æterna voluntas.
Hinc noſtræ libis adoleſcunt pinguibus aræ,
Multaque per ſacros pendent donaria poſtes,
Perque tholos. Clarum ſic te quoque nomen habere,

Nata, volo. Sal ipſe dedi mortalibus ægris,
Sal hominum menſis, ſal templis utile Divûm.
Hos mihi torretur fuſci maris humor in uſus:
Sed color auſterus remanet. Tu diſce nigrantis;
Nam licet, inviſum ſalis emendare colorem.
Muneris hæc noſtri fuerat pars, quam tibi ſervo,
Ut votiva novis mereare altaria donis.
Hæc dicens, propriam monſtrabat ſedulus artem.
Ipſa autem ſtudio gaudens & amore parentis
Juſſa facit ſolers: fingendi gloria tangit
Una ſalis. Meruit pro laude Salina vocari;
Sed nimis, heu! magnâ nomen mercede redemit.
Annua natali Veneris convivia magnus
Oceanus dabat; & denſo cryſtallina cœtu
Atria complerant, populos quicumque per omnes
Urnis ingentes fundunt ingentibus undas.
Euphrateſque, Induſque, & diti vellere Phaſis
Inſtratus latos humeros: gaziſque ſuperbus
Ipſe ſuis Ganges, viridem cui multa capillum,
Multa ſinum vario diſtinguit gemma nitore.
Et ſacer ignoto veniens mortalibus antro
Nilus: & auratæ Tagus oſtentator arenæ.
Cycnorumque parens jam tum, gratuſque Camenis
Eridanus: nulloque ferens ſe nomine Tybris,
Tenuis adhuc, vix Tybris: & ingens Sequana, nondum
Ille tamen miſcens crinali lilia junco.

Et Rhodanus, flavo cui plurima vertice citrus
Texit odoratâ vernantem fronde coronam.
Proximus & Dubis Rhodano; ſed mitior agris
Parcere: nunc magnis caput aptum turribus effert;
Tunc nudos facili criſpabat arundine crines.

Tu quoque, qui medias inter manantia terras
Æquora ſuſpenſo cogis parere tridenti,
Huc, Neptune, venis. Manſiſſes gurgite clauſus
Ionio, Ægæumve rotis, aut Cretica obiſſes
Littora diverſus! nunc Oceanitidas inter
Purpureo ferret ſe nobilis ore Salina,
Candida nec ſalſo mutaret membra liquore.

Feſtos læta dabat Tritonum buccina cantus;
Summa levi Phorcus ſtringebat marmora ſaltu;
Et Phorci chorus, & miſtæ delphinibus orcæ.
At nitidæ centum, Nereïa turba, puellæ
Aut dapibus menſas onerant, aut plena repoſſunt
Pocula. Dum vario diſcurrunt ordine circùm,
Æquoreos puro latices duraverat igni,
Inque nivem tuſis imitantem ſacchara granis
Arte Salina novâ tenuaverat. Obtulit illam
Protinus auratâ in conchâ, Venerique dicavit;
Quæ ſimul appoſito candentem vidit in auro
Læta ſalem, dapibuſque novas accedere ſenſit
Delicias; dulces oculos in virgine amatâ
Fixit; & ipſa ſuo detractam è vertice myrtum
Crinibus implicuit trepidantis. Lactea tingit
Ora pudor flammâ roſeum incendente decorem.

Mille ſalem celebrant voces, & mille Salinam.
Quippe renodatis, ut erat ſuccincta, decenter
Veſtibus, undantes myrto religata capillos,
Et niveos nudata ſinus; ſpectatur; & illam
Dum ſpectant, venis rapuere calentibus ignem
Cærulei patres. Quin ipſi, matre relictâ,
Incauto Nympham lapſu affectantur Amores.
Nec Venus advertit formoſæ furta Salinæ;
Solaque dum colitur, ſolam ſe credit amari.
Ante alios Nymphæ ſtudiis majoribus inſtat
Dubis, & aſpectu timidus pellace ſalutat
Ipſe ſilens; udo flammam ſed lumine prodit.
Sive fuit caſus, meruit ſeu Dubis amorem
Obſequio, certè placuit. Jam prodit & ignes
Pænè ſuos virgo, formamque potentibus auget
Callida blanditiis, & pulchrior eſſe laborat.
Spectabant læti inter ſe, nutúque loquaci
Multa ſuſurrabant. Triſtem fors improba ludum
Attulit, & feſtæ turbavit gaudia lucis.
Ventum erat ad menſæ pueris optata ſecundæ
Fercula: frigidulis poſcebat ſacchara fragis
Idalius puer; atque illi Neptunus amico
Fraudem diſſimulans blanditu: Dulcia poſcis
Scilicet, ingratus nobis ut amara rependas.
Palpatur ſic mollè jocans; interque jocandum
Fraga Salinari nive perpluit. Ecce tenellæ,
Idalius nam ſorbet hians, per mollia linguæ
Sal meat, & ſenſu fauces uruntur acuto.

Ora madent lacrymis : lacrymas longò excipit
omnis
Turba joco ; riſumque parens vix continet, ulnis
Dum flentem complexa fovet, dúmque oſcula
jungit.
Si puer eſt, at non puerili excanduit irâ
Læſus Amor. Fragis metues illudere poſthac,
Téque ſalis faciet memorem, Neptune, *Salina*.
Dixit ; & arreptâ promens duo tela pharetrâ,
Nec ſimilis formæ, neque idem facientia vultus,
Ilicet hoc Nympham, regem ferit æquoris illo ;
Qualibus & Phœbum, & Daphnen Peneïda nu-
per
Fixerat. Hinc mensâ ridens petit alta relictâ.
At maris exarſit domitor. Non tantus inertem
Arentis ſtipulæ ſylvam depaſcitur ignis,
Quem rapidus flatu violento concitat auſter.
Quid non tentat inops animi ? Nec ſæpe repulſus
Abſtineat porrò cœptis, ni præpete virgo
Aufugeret greſſu. Fugientem, ac tuta petentem
Excipit arcano ſcopuli pendentis in antro
Dubis, &, O mea lux, ait, ô pulcherrima rerum,
Sunt mihi magna, tuus quæ non averſa tuetur
Regna parens : nihil eſt Neptuno juris in illa :
Sit jus omne tuum. Dea tu mihi, tu Dea Nym-
phis
Sola meis, populiſque eſto, qui littora cumque
Noſtra tenent : niſi te forſan Neptunius ille

Tangit amor. Pallet Neptuni nomine, & ultro
Lapſa reclinati gremio ſe infundit amantis,
Immemor, heu! curiſque animum turbantibus ægra;
Invaduntque viam. Spes & timor urget euntes.
Jamque propinquabant terris, quas plurimus amni
Dividit, & vaſto locupletat gurgite Dubis.
Jam regna è ſummo propiùs ſua monte videbant,
Et dulces hilari ſpondebant voce hymenæos.
Quæ mihi fauſta redux accendet lumina veſper!
Quos tibi mox Nymphæ thalamos, quæ ſerta parabunt!
Proveniat matri ſimilis, quæcumque benigno
Nobis proveniet Lucinæ munere proles:
Sic oculos, ſic ora ferat; ſic brachia tendat;
Patria ſic roſeis innectat colla lacertis.
Talia, Neptuni nimiùm ſecurus, in auras
Jactabat ſponſus. Pelagi rex audiit; atro
Pulvereæ nam ſe nubis velarat amictu,
Ponè ſequens. Et nos, ait, hæc impunè puella
Spreverit? horrendo torrentes ſulphure ripas
Et Styga conteſtor, quem ſpreveris improba diſces.
Nec tuus ille tibi, nec tu ſociaberis illi.
Fons eris: at dulcis fugies conſortia lymphæ.
Ite modò, & feſtas Hymenæo ducite pompas.

Hæc inter, ſævo terram ſponſoſque tridente
Percutit. Incerto titubantem corpore Nympham
Amplexu Dubis trepido retinebat: at illa
Conjugis ante oculos, atque inter brachia, ſenſim
Liquitur, & ſub rupe cavâ fit ſalſus aquæ fons.

Quis tibi, Phœbe, dolor, curru ſublimis ab alto
Surgere cùm cernis tenuem pro virgine fontem!
Quis tibi tum ſenſus! Quàm velles poſſe jacentes
Delabi in terras! Sed quid tamen hîc quoque poſſis,
Major ubi contrà Deus eſt, & fata repugnant?

Quod ſupereſt, natæ tumulo decus addere curat;
Utque locum vidit (bifido mons * Aureus aſtra
Colle petit: collem felici vite coronat
Liber: at in medio, vallis quà multa recumbit,
Prata virent: lætis pinguntur floribus horti)
Hæc tibi ſit ſedes, ait; & crudelia quando
Fata jubent, primamque tibi jam reddere formam
Non opis eſt noſtræ, fons eſto. Nec tua fruſtrà
Lympha per ingratos ſaltus & ſaxa peribit.
Fonti ſtabit honos. Hîc olim Sequanus urbem
Ponet: equis ac marte potens, navuſque laborum
Sequanus, Heroum ſoboles: urbique Salinæ
Nomen erit. Tum, nata, tibi, regalia quantùm

* *Veteres* Aureum *dixere montem qui Salinas ambit. Vide* Acta Sanctorum, *ad Febr. diem III, ubi de Sancto Anatolio*, p. 359.

Tecta

Tecta nitent, grandi ſurgent penetralia ſumptu
Ardua, marmoreos latè ſuſpenſa per arcus.
Hîc tuus arte latex niveos duratus in orbes,
Æquorei famam ſalis, & Neptunia vincet
Munera: nec radiis ceſſabo mitibus iſtas
Illuſtrare plagas: clarámque ab origine famam,
Et tua venturi memorabunt fata poëtæ.

ANATOLIO OLIVETO,

Senatori Veſontino.

VIde, mi frater, quàm ſim ego tibi obſequens. Cùm enim Fragueriana vidiſſes à me collecta, meiſque curis edita carmina, ſubiraſcebare, quòd reliquiſſem in ſcriniis meum de noſtris Salinis * idyl-

* Inſcribitur *Ecloga*, non ſecus ac Metamorphoſes Huetii. Vocabulum enim iſtud haud quaquam æſtimari debet è communi linguarum uſu, quæ ex Latina prognatæ Europam nunc occupant. His, *Ecloga*, Carmen eſt paſtorale. Atqui olim omni brevi poëmatio inditum id fuiſſe nomen, Critici abundè confirmarunt.

D d

lium. Quaſi verò, cùm aliquam patriæ commendationem hinc proficiſci poſſe ſentires, premere illud, ut ſtatueram, vix eſſet civis boni. Hæc tua erat, mi ſuaviſſime frater, vel admonitio, vel objurgatio. Igitur facio id, quod non factum dolebas; neque enim committere volui, ut viderer in re tantulâ deeſſe tibi, cujus causâ volo omnia. Tu tamen cogita etiam atque etiam, quò me inducas, primùm natu majorem, deinde id ætatis ingreſſum, quam ludicra non decent. Hoc, ſi neſcis, à conſeneſcente extorques, quod ne facerem, vel illâ caveram ætate, cui minùs ſapiendi vel licentia datur, vel ſaltem venia. Verſus equidem, neſcio quâ dulcedine jam à pueritia illectus, fudi bene multos: imperavi tamen mihi, non modò ut ne quid ejus generis in publicum manare permitterem; ſed etiam ut illum inciderem ludum, & amabilem inſaniam omitterem, ſimul atque invaleſcens ratio alteram edomuit vim animi, quæ tales fœtus parturit. Id tenui nimirùm quod à Mureto legeram non elegantiùs ſcriptum quàm veriùs: *Malos verſus facere, turpe eſt: mediocres, inglorium: bonos, difficilius, quàm ut præſtari poſſit ab iis, quibus aliud*

agendum eſt. Itaque cùm mihi agendum aliud proponerem, verſus facere jampridem deſii. Sed bonis ab artificibus factos nec amare deſii, nec legere. In factitandis labor eſt, qui mentem abſterreat à melioribus: in lectitandis ineſt oblectatio, quæ ingenium ad meliora præparet. Quod ego ut verum eſſe ſentio, ita auctor ſum tibi atque hortator, mi frater, utì juvenes tuos, quibus patruum me feciſti, in hanc viam vel deducas ipſe, vel ſponte jam ingreſſos juves ac dirigas. Quæſo te, quid legit nunc juventus, ſi legit aliquid? Populares ineptias, gerras Gallicas, futiles libellos, è quibus nihil diſcunt admodùm, quod non ſatius fuerit neſcire. Et hi tamen, vix barbatuli, ſcire volunt omnia; ventoſi, arrogantes, atque in omnem reliquam ætatem fatui. Tuos, ſi me audies, aliter habebis liberos: abduces à luto: jubebis puros adire fontes: atque ut ipſe ad meam utilitatem ſemper cum Gallicis Latina conjunxi, idem curabis ut faciant. Quanquam, ſi domeſtica movere illos exempla poſſunt, habes, quem imitandum illis proponas, optimum parentem noſtrum, qui ſenatorii muneris partes omnes cùm impleret ſanctiſſimè, id

nihilominùs ſtudio fuerat ac labore conſecutus, ut ſtylo uteretur Latino commodè, Hiſpanienſi etiam eleganter. A te frequenter audiant, quod uterque toties audivimus, cùm teneram ætatem noſtram ad ſuos mores fingere niteretur parens optimus : *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.* Vellem adderet Cicero hæc etiam : avocant à vitiis, ad recta capeſſenda præparant, hominem efficiunt obtemperantem rationi, hoc eſt, in bonæ beatæque vitæ aditu, aut etiam ſinu collocant. Ego verò amorem hunc literarum ſi tuis, mi frater, liberis poſſim inſerere, plus multò debere illos mihi exiſtimabo, quàm ſi opimam, qualem exſpectare à me quidem nequeunt, cernendam illis hereditatem relinquam. Vale. Pariſiis, IX. Kal. Jan. M. DCC. XXXVIII.

*CAROLO AURELIANENSI ROTHELINO JOSEPHUS OLIVETUS

S. P. D.

QUAM præclarè, id eſt, quàm verè de Fraguerio ſentires, declaraſti ſatis, cùm inter Academicos nuper allectus, tuum in eorum adyta introitum ſolenni, ut fit, oratione conſecraſti. Ac prima certè lex illa eſt hominibus noſtris, ut tanquam parentes, ſic eos ſanctè colant, quorum in locum inaugurati ſunt. Quarè ſingularem ac prope religioſam neceſſitudinem tibi cum Fraguerio in perpetuum eſſe conſtitutam ſcito. Ad te quidem venit à majoribus immenſa quædam gloriæ hereditas: novâ laudum acceſſione cu-

* Hæc olim Epiſtola, cum Præfatione quæ proximè ſequitur, præfixa eſt carminibus Fraguerianis, cùm illa primùm edebantur.

mulas avitum ipſe ſplendorem: neque tamen literaria iſta cognatio non eſt aliquid. Hunc tu igitur libellum tuearis neceſſe eſt, utì paternæ monumentum laudis. Tueberis autem egregiè, ſi feceris quod nullo negotio potes, ut ſodalis ille noſter, quem nobis nimiùm diu Roma invidet, nomini Fragueriano velit eſſe fautor. Poliniacum dico, cui non diſplicere, & Muſis & Gratiis placere eſt. Vale. Pariſiis, prid. Non. Sext. M. DCC. XXVIII.

JOSEPHUS OLIVETUS LECTORI.

PEtri Danielis Huetii, & Claudii Franciſci Fraguerii carmina ut colligerem, atque unum in volumen compacta vellem, fecit benevolentiæ, quâ me uterque complexus eſt, ſuaviſſima recordatio.

Huetianis equidem carminibus operam dedi eandem jam ſemel ante annos prope viginti. Illa enim vulgare cùm ipſe auctor, neque dignitatis ſuæ, neque verò

ætatis eſſe arbitraretur; pervici aliquando ut volens nolens exemplar quod habebat manu emendatum ſuâ, typis recudendum daret, totiuſque libelli ordinem mecum deſcriberet. Atque inde quinta exſtitit * Huetianorum carminum editio, ab omnibus limati judicii viris eo plauſu excepta, qui Huetium in ſeverioribus ſtudiis jamdiù conſeneſcentem ac pænè immortuum excitavit, ut novas quinque eclogas componeret, quæ poſteriores in hac editione ſunt. Poëtica nimirùm illa vis, quæ maturuerat jam in adoleſcentulo, cùm *Vitem* caneret, in eodem, cùm *Meliſſam* luderet, quartum annum agente & octogeſimum, non exaruerat. Sed de Huetio hactenus, de quo jam aliàs: nunc ad Fraguerium, cui nondum parentavimus.

Pariſiis nobili ſtirpe is natus eſt V. Kal. Septemb. M. DC. LXVI. Puer admodum in convictum ac diſciplinam traditus Patribus Societatis Jeſu, humaniorum literarum magiſtro utebatur Jacobo Labaunio, ſubacti bonis artibus ingenii, & ſpectatæ jam in iis tradendis induſtriæ viro;

* Pariſiis, apud Jac. Stephanum. 1709.

quem Henricus Julius Condæus rude jam donatum, quando ipſi Ludovicum filium informandum dedit, eodem iterum includi ludo voluerat. Itaque & magiſtrum experientem nactus eſt Fraguerius, & acuendæ æmulationi condiſcipulum regii ſanguinis juvenem. Tunc in ædibus iiſdem florebant Rapinus, Juvencius, Ruæus, Commirius, quorum nemo non culturæ aliquid adhibebat optimo adoleſcenti, quem ſibi omnes ſucceſſorem optabant. Ad Commirium ſe præter cæteros applicuit; ab cujus ore, vel artem explicantis ſuam, vel nova recitantis carmina, dum pendet aſſiduè; id porrò ſibi perſuaſit, nihil facturum ſe ſuis rebus ac ſtudiis convenientius, quàm ſi magiſtrorum veſtem ſimul & mores indueret.

Anno igitur M. DC. LXXXIII, exeunte Auguſto menſe, in Societatem eſt admiſſus. Poſito, ut moris eſt, rudimento, biennium Philoſophiæ vacavit in collegio Pariſienſi. Miſſus inde Cadomum, ut in florentiſſimâ ingeniis civitate artes, quæ ad humanitatem pertinent, juventuti traderet, in Petrum Danielem Huetium, & Joannem Reinaldum Segræſium incidit, candidos ſtudiorum ſuorum judices.

Huetium quidem audivi ſæpe cùm diceret, auctore ſe conſtanter feciſſe Fraguerium, ut dies in Græca Latinaque ſtudia ex æquo partiretur, & pomeridiana his tempora, illis matutina divideret. Quâ ratione, cùm exemplaria vetera, eáque optima, verſaret indefeſsâ manu, factum eſt ut linguâ utrâque tam ſolerter uteretur, quàm qui Romæ olim, vel Athenis nati.

Inter hæc ſtudia & quotidianas docendi occupationes anni quatuor abiere. Cadomo in Pariſienſe collegium revocatus, ſtadium theologicum cucurrit per annos ferè totidem. Ac metam in proximo videbat, cùm ecce ſubiit animum illa cogitatio, diem mox adfore qui aliam, ut mos eſt Societatis, vitam afferret: tempus omne vel ſacris concionibus, vel argutationibus ſcholaſticis impertiendum: inter hæc demum optionem fore: quid cum veteribus deliciis commercii? quid otii ad perſequenda illa ſtudia? vitaliſne vita eſſe poſſet nihil agenti quod luberet? Ita, exeunte anno M. DC. XCIV, deduxere illum è Societate Muſæ, quæ in eam priùs induxerant. Veſte autem mutatâ, Societatis retinuit amorem conſtanter. In

mus verò, quem neque opinio antecepta infuſcaret, neque ulla commoveret perturbatio. Quare aſſignatum ſibi munus adminiſtrabat eâ diligentiâ, ut nihil prætermitum vellet, quod profuturum eſſet lectoribus; eâ religione, ut nihil dictum, quod ſcriptoribus vel diſpliceret, vel noceret.

Ad majora etiam ſeſe comparans, circumſpexerat tamen intereà ecquod ſibi opus conſtitueret, quo ſuum ſibi otium oblectaret ipſe, & literatis viris aliquando approbaret. Atque in Platonem intuenti, quem habebat ex frequenti lectione familiariſſimum, operæ pretium fore viſum eſt, ſi eum Latinè poſt Marſilium Ficinum, Joannemque Serranum de integro tranſferret. Hunc enim quid Plato vellet, ſæpe non vidiſſe; illum, quæ rectè forſan viderat, rudi genere eloquendi ferè obſcuraſſe; neutri contigiſſe illam Platonis mollem, facetam, illuſtrem, ac prope poëticam orationem. Quam imitari ſi quis poſſit, imitaturus profectò erat Fraguerius, ut cui amœnitas ingenii præcipua, & poëtarum proprius lepor, Plautinis jam inde à puero, Terentianiſque ac Tullianis fontibus probè irrigatus.

Verùm in Platone dum totus eſt, ſubitus repentè caſus & cœpta abrumpit in manibus, & ſpes in futurum omnes intercipit. Anno ſcilicet M. DCC. IX, qui erat Fraguerii tertius à quadrageſimo, invaſit hominem nova morbi ſpecies, cujus originem atque progreſſionem juvat exponere. Joannis Harduini annotationes ad ſacra novi fœderis volumina, ab auctore, ſummo ac ſingulari amico, utendas acceperat. Tam ſpiſſi autem operis editionem cùm ſerâ admodum in ſpe eſſe intelligeret, multa quæ uſui forent inde conſtituit excerpere, ſepoſitis ad eum laborem æſtivis noctibus. Calebat ſupra modum æſtas. Lucubrabat hiante ad frigidiorem tantiſper auram feneſtrâ, ipſe diſcinctus. Quinque poſt dies, cervicis muſculos, quibus caput ad collum annectitur, labefactari ſentit; quos nimirùm infeſto algore nocturnum virus tetigerat. Ipſe haud aliter commoveri animo, quàm qui ſibi cum rheumatiſmo condictum eſſe arbitraretur. Verùm hyeme adventante morbus increvit, affuſo colli nervis acri humore ac noxio. Tum illi tetrè convulſi luxatum caput à recto & naturali ſtatu dejecêre. Petitum eſt à Viciacis Borboniiſque fonti-

bus remedium; in Bareginam vallem devectus eſt; Balneariam apud Bigerros aquam, item apud Occitanos Balarucanam adiit. Ut erat morbus ſine exemplo, ita fuit ſine remedio. Hyems nulla ſine mali incremento venit: æſtas nulla levamentum attulit: nulla dies ac vix *horæ* momentum ſine acerbiſſimo doloris *ſenſu* fuit. Quinetiam noctibus perſæpe ſubſiliebat crebris ictibus reclinatum caput, donec quaſſu diuturno defatigatum ſterneret potiùs labor, quàm ſomnus ſopiret.

Vita ſic erat totis novemdecim annis, quibus ipſe ſibi quodammodo ſuperſtes fuit. Neque extorſit dolor, ut aliquando minùs aut tranquillo, aut hilari etiam ore foret. Immò omnes qui ad illum adibant, à triſtibus ad lætiora primus ipſe traducebat. Quis non adibat autem? Quis amans literarum aut virtutis fuit in hac urbe ampliſſimâ, qui Fraguerio amicus non fuerit? Quis homo alicujus nominis Lutetiam viſit, qui Fraguerium honoris causâ non viderit? Atque ut verbo dicam, eóque Tulliano, *unâ in domo, & eâ quidem anguſtâ, quàm magnos quantâque amoris conſpiratione conſentientes tenuit amicorum greges?* Ubi enim aut candidior

anima? aut fides ſanctior? Quid æquitas animi? Diu in tenui re ac modico cenſu nihil quod deſideraret, vidit: non ita pridem opimâ hereditate auctus, ditior fuit non ſibi, ſed amicis. Ego certè ſapientis viri memoriâ ſic afficior, ut ſuum Græciæ Socratem non invideam, qui cum Fraguerio vixerim.

Quotidie ad eum ventitabam primâ veſperâ, quod & illâ feci, quæ ipſi ſuprema fuit. Hic me primùm invitare, ut ſolebat, ad cœnam; deinde, quaſi præſentiret animo extremum fato hoc eſſe quòd me videbat, contendere ut aſſiderem. Aſſedi: cœnatum eſt mensâ brevi, ſed mundâ, atque hilari. Quæ poſtquam ſublata eſt, legi pro more noſtro quod ambos juvaret. Ego domum: ipſe decubuit. Poſt paulò, cùm in lecto jaceret parum commodè, ſedili ſe compoſuit. Ibì primo mane repetita apoplexia monitum jam ante ſemel, neque imparatum oppreſſit, quinto Nonas Maias, hoc ipſo anno M. DCC. XXVIII.

Hæc habui de Fraguerio quæ dicerem: cujus ad carmina priuſquàm accedas, hoc ſcias, velim, pleraque illi proveniſſe ludenti graviſſimos inter dolores, ne gran-

dia, ut à meditato Poëtâ ac vegeto, omnia exſpectes. Quin multa in illis non celeriùs excepta calamo, quàm ingenio fuſa; præſertim quæ ad Remundum ſuum ſcripſit; cui per eundem ſtatim hominem, qui epiſtolii quidpiam attuliſſet, nihil cunctatus carmine reſpondebat. Eſt tamen in omnibus, ni fallor, impreſſa germanæ antiquitatis nota. Id ergo negent, ſi audebunt, magni illi magnarum ſcilicet gentium literatores, qui degeneraſſe Gallorum ingenia, & periiſſe hîc bonas artes clamitant. Fateantur neceſſe eſt vel hoc uno ſe refelli ſatis, quòd hac noſtrâ ætate Gallia & Huetium tulit, & Fraguerium.

Typographus Lectori.

Volumen iſtud abſolvebamus, cùm ecce ad nos pervenerunt aliquot Bernardi Monetæ Carmina, è quibus facilè intelligas quem ille in Academia locum teneret inter eximios, qui Latinè aut Græcè ſcripſerunt, poëtas.

Habebis deinde Platonicas tres Diatribas, quæ Fraguerianis carminibus annexa olim fuerant: hinc excludi noluere idonei judices.

BERNARDI

BERNARDI MONETÆ CARMINA.

I.

Herus avarus, & famulus.

SEnex Toloſas Euclione parcior
Miſcere vino, quod bibebant ſervuli,
Aquam ſolebat ipſe non parcâ manu.
Idem ſolebat, cœnulam dum carperent,
Quaſi ſpeculator excubare, ne nimis
Intemperanti fræna laxarent gulæ.
Quos inter unus fortè cùm voracior
Buccis utrinque manderet ſtrepentibus,
Heus, helluo, clamavit impatiens ſenex;
Age, dic tuæ illæ quandiù molent molæ?
Cui ſic repoſuit famulus haud incallidus:
Diù molent, queîs deeſſe non pateris aquam.

IV.

Helius Eobanus Heſſus.

HEſſus, poëta notus, ac potor valens,
Exibat altâ nocte de gurguſtio,
Ubi pluſculùm de more ſe invitaverat.
Præſtò exeunti nulla fax, nullus puer
Greſſus heriles qui regat: domum tamen
Silente lunâ pergit audaci pede.
Et jam propinquus oſtio, clavem ſeræ
Parabat admovere, cùm, veſtigio
Fallente, naſum pænè fregit ad fores.
Quid faceret? inclamaret? hora tardior
Opem negabat. Quod poteſt, lectum petens,
Vino dolorem ſopiendum tradidit.
Ut nocte pulsâ reddidit ſenſum dies,
Chirurgus accerſitus è vicinia
Inducit ægro molle naſo ſplenium,
Quo ſubſidere lividus ſenſim tumor,
Vulnuſque cœpit omne conſaneſcere,
Niſi quòd cicatrix manſit index vulneris.
At interim, vis mira conſuetudinis!
Non parciùs ſe flore patris Liberi
Aſperſit Heſſus, quàm ſolëbat anteà.
Quod cùm notaſſet patruus, prudens ſenex;
Adortus hominem, quem monuerat ſæpiùs:

Non ergo damno cautior fies tuo ?
Inquit, ſimulque porrigens ſpeculum, adjicit :
Tuus videre ſe velis naſus rogat,
Videnſque dicas, hanc merum fecit notam.
Reſpondit Heſſus : Fecit, at, mi patrue,
Decet ab amicis aliquid interdum pati.

V.

AD CRISPUM.

SCriptores quanti faciam, vis noſſe, recentes,
Quorum, Criſpe, libros nocte diéque teris ?
Non alios equidem meliores, ſcilicet unos
Excipias veteres ſi modò, Criſpe, reor.

VI.

AD JOS. OLIVETUM.

Δέρμα καλὸν πέμπεις ϗ ποικίλον : εἰμὶ δὲ κέρμα·
Κέρμα σὺ πεμπόμενον δέρματος ἄντι λάβε.

VII.

MARCOLFUS JUDEX.

Ad Joannem Buherium,

in Senatu Divionenſi Præſidem.

Quam morio tulit nobilis ſententiam;
Accurſianis prædicatam Scævolis,
Placuit ïambi vinculis includere.
Tibi hanc, Buheri, mitto, qui natalibus
Addis decus virtutis & ſcientiæ,
Parnaſſi ut idem Præſes, & fori ſimul,
Hîc de Poëta cenſeas, & Judice.
Mercatus aliquot panis uncias, domum
Pranſurus ibat bajulus, dúmque in viâ
Coqui tabernam præterit meridie,
Afflavit illum nidor inde prodiens,
Statímque venter ſuaſit, ingenî dator;
Panem hanc ad auram delibutum mandere.
Ergo ad coquinæ propiùs accedens fores,
Illic, benignus unde ſpirabat vapor,
Quadram vorare cœpit, & fumum ſimul.
O quæ voluptas, dum ſupinis naribus,
Patente buccâ, ſemiclauſis palpebris,
Captabat avidus quidquid halabant ibi

Verua, patellæ, cacabi, ſartagines!
At facto edendi fine, cùm fumi helluo;
Abire jam pararet: Hem, clamat coquus;
Itáne meos auferre ſuffitus putas?
Solve, eïa, ſolve. Ludis, inquit bajulus;
An non ſuapte, quem tibi vis ſolvier,
Fumus perîſſet? Eſto, reſpondit coquus;
Num teneor alere bajulos uncto meæ
Fumo culinæ? Solve. Non ſolvam. Gravis
Hîc rixa utrinque, clamor exurgit gravis;
Accurrit ingens multitudo civium;
Hos inter & Marcolfus, urbis ſannio;
Dictis ſuis, factíſque clarus admodum;
Quem conſpicatus: Bajule, hunc, dixit coquus;
Vin' tu recipere litis arbitrum? Volo.
Marcolfus ibi tum, fronte ſumptâ Judicis,
Ad bajulum converſus: Heus, bone vir, ait;
Age, cedo nummum. Bajulus de perulâ
Quamvis renitens, extrahit nummum tamen,
Quo ter ſolum quaterque poſtquàm morio
Percuſſit, explorare ceu vellet ſonum,
Nummum trementi bajulo mox reddidit.
Dein imperato partibus ſilentio,
Tuſſit, ſcreat, tandemque ſic pronuntiat:
Quoniam coquus pro carne fumum præbuit,
Repoſuit autem bajulus nummi ſonum,
Ideò jubemus hos pares diſcedere.

VIII.

De Ennio, & Jove.

OSco Ennius ſermone, quem nôrat probè,
Rudi quidem illo, ſed jocis idoneo,
Cecinerat animi gratiâ infantem Jovem,
Adeò facetis proſecutus laudibus
Deum ſub antro vagientem Cretico,
Res nulla ut unquam viſa ſit facetior.
At non ſaporis illa publici fuit.
Fremuêre paſſim Flamines, Antiſtites;
Contaminari ſacra, rideri Deos;
Medio profanum carmen urendum foro.
Rumore motus Jupiter, ſpirans minas,
Abominandam paginam ſibi ocyùs
Promi jubet. Paretur. Ecquid hîc moror?
Uno alteróve lectitato cantico,
Judex ſeverus in cachinnos ſolvitur.

IX.

Julius II, & Germani.

FAmoſus ille Papa Julius Ligur,
Opem fidelem Teutonum expertus, ſuam;
Res quandocunque ſe daret, eis obtulit.
Unam rogarunt hi rependi gratiam,
Ut nempe divi feſta Martini dies,
Honore quem gens illa præcipuo colit,
Etſi adveniret piſculentis feriis,
Tamen eſitare fas ſibi carnem foret.
Perplexus hæſit Pontifex, diù æſtuans;
Hinc dum proborum, Teutonum veretur hinc
Offenſionem. Placuit hoc tandem modo
Breviter libello ſupplici reſcribere:
EDUNTO CARNES, ABSTINENTO SED MERO
Inopina luſit ſupplicantes clauſula,
Nec tam moleſtâ lege voluere hactenus
Sibi attributo jure Teutones frui.

EPITRE
DE
M. DESPREAUX
A
L'ABBÉ DES ROCHES.

A Quoi bon réveiller mes Muſes endormies ;
Pour tracer aux Auteurs des règles ennemies ?
Penſes-tu qu'aucun d'eux veuille ſubir mes loix ,
Ni ſuivre une raiſon qui parle par ma voix ?
O le plaiſant Docteur , qui ſur les pas d'Horace ,
Vient prêcher , diront-ils , la réforme au Parnaſſe !
Nos écrits ſont mauvais , les ſiens valent-ils mieux ?
J'entens déjà d'ici Liniére furieux ,
Qui m'appelle au combat , ſans prendre un plus long terme.
De l'encre , du papier , dit-il ; qu'on nous enferme.
Voyons qui de nous deux plus aiſé dans ſes Vers ,
Aura pluſtôt rempli la page & le revers ?
Moi donc qui ſuis peu fait à ce genre d'eſcrime ,
Je le laiſſe tout ſeul verſer rime ſur rime ,
Et ſouvent de dépit contre moi s'éxerçant ,
Punir de mes défauts le papier innocent.

X.

AD RUPEUM ANTISTITEM.

Epiſtola, ex Gallico NICOLAI ABSTEMII PRATELLI.

AUrem ceſſanti quid, Rupee, vellis amico?
Scilicet ut calamum evigilans, librumque reſumam,
Scripturus noſtris præcepta horrenda poëtis?
Parebuntne mihi, vel cùm ratio increpat illos
Ore meo? minimè. Pol ridiculum caput, aient.
Simius en Flacci Parnaſſo edicere leges
Attonito parat. Haud aptè componimus: ipſe
An meliùs? Jam Linerii procul audio vocem
Bacchantis: dentur tabulæ, detur locus, hora,
Cuſtodes; videamus uter, properante Camenâ,
A ſummâ citiùs cerâ decurret ad imam?
Atqui talis ego pugnæ rudis. Ille palæſtrâ
Regnet in hac, ſolus verſus ex tempore fundat,
Et quia ferre meæ neſcit faſtidia Muſæ,
Inſontes plectat, quidquid peccavero, chartas.

Mais toi qui ne crains point qu'un Rimeur te noirciſſe,
Que fais-tu cependant ſeul en ton Bénéfice?
Attens-tu qu'un Fermier payant, quoiqu'un peu tard,
De ton bien pour le moins daigne te faire part?
Vas-tu, grand défenſeur des droits de ton Egliſe,
De tes Moines mutins réprimer l'entrepriſe?
Croi-moi, dût Auzanet t'aſſurer du ſuccès,
Abbé, n'entreprens point même un juſte procès.
N'imite point ces fous, dont la ſotte avarice
Va de ſes revenus engraiſſer la Juſtice:
Qui toujours aſſignans, & toujours aſſignez,
Souvent demeurent gueux de vingt procès gagnez.
Soutenons bien nos droits: Sot eſt celui qui donne.
C'eſt ainſi devers Caen que tout Normand raiſonne.
Ce ſont là les leçons, dont un pére Manceau
Inſtruit ſon fils novice au ſortir du berceau.
Mais pour toi, qui nourri bien en deça de l'Oiſe,
As ſucé la vertu Picarde & Champenoiſe,
Non, non, tu n'iras point, ardent Bénéficier,
Faire enrouer pour toi Corbin ni le Mazier.
Toutefois, ſi jamais quelque ardeur bilieuſe
Allumoit dans ton cœur l'humeur litigieuſe,
Conſulte-moi d'abord, & pour la réprimer,
Retien bien la leçon que je te vais rimer,

Te, qui non metuis ſimili carbone notari,
Quæ cura intereà degentem rure moratur?
An tuus expectas aliquâ cunctator uti te
Dignetur ſaltem proventûs parte colonus?
An rector ſacræ & defenſor ſtrenuus ædis
Luctantes tecum Monachos compeſcere quæris
Marte fori? Ah quamvis tibi punctum ſpondeat omne
Auſanetus, ſubſiſte: timenda vel optima lis eſt.
Vitare illorum ſapiens exempla memento
Stultorum, loculos ultro qui judicis implent
Ære ſuo, ſemperque citantes atque citati
Eſuriunt, poſtquam cauſas vicere trecentas.
Rem fortes tueamur: eam qui deſerit, amens.
Normanni ad Cadomum carmen juveneſque, ſeneſque
Hoc recinunt; balbo ſolet inculcare parens hoc
Cenomanus puero poſt prima crepundia. Sed tu
Œſiacam citra ripam qui eductus, & in quo
Addita Picardæ bonitas Campana renidet:
Non, puto, conduces unquam, altercator avarus,
Facundam ravim Corbini, Mazeriive.
Si qua tamen jurgandi olim tibi fortè cupido
Accenſa in venis exarſerit, en tibi pravam
Commoda quæ poſſit reſtinguere fabula bilem.

Un jour, dit un Auteur, n'importe en quel chapitre,
Deux voyageurs à jeun rencontrérent une huître.
Tous deux la conteſtoient, lorſque dans leur chemin,
La Juſtice paſſa la balance à la main.
Devant elle à grand bruit ils expliquent la choſe.
Tous deux avec dépens veulent gagner leur cauſe.
La Juſtice, peſant ce droit litigieux,
Demande l'huître, l'ouvre, & l'avale à leurs yeux;
Et par ce bel Arrêt terminant la bataille :
Tenez, voilà, dit-elle, à chacun une écaille.
Des ſottiſes d'autrui nous vivons au Palais :
Meſſieurs, l'huître étoit bonne. Adieu. Vivez en paix.

Manè viatores ibant duo, queis obiter ſe
Improviſa offert jejunis oſtrea : viſam
Tollit uterque ſimul, ſimul & ſibi poſcit uterque.
Dum ſic rixantur, geſtans Themis obvia libram
Hàc tranſit. Magnis cauſam clamoribus ambo
Coram agitant; plenum ſperabat uterque triumphum.
Expendit Themis ancipiti jus lance, ſibique
Vult porgi concham : reſerat : patet oſtréa : dúmque
Attendunt partes, mandat Dea faucibus offam,
Bellè ita certamen dirimens. Dein fertur hiantes
Sic affata viros : reſtat modò teſtula duplex,
Quiſque ſuam capito. Nos vivimus hîc alienâ
Stultitiâ. Placuit noſtro jucunda palato
Oſtrea. Vos poſthac ſapite, edoctique valete.

XI.

Cantor lacrymas eliciens.

PAgi non vafer admodum ſacerdos,
Solennes operans ſacris ad aras,
Feſtum Gargilius canebat hymnum,
Et quantùm poterat, placere dum ſe
Amatæ putat auribus Lubinæ,
Tollebat reſonans ad aſtra vocem;
Felix præcipuè, ſibique plaudens,
Quòd, certi velut indices amoris,
Quaſdam lacrymulas canens videret
Labi de teneris Lubinæ ocellis.
Hanc ergo rogitans, ut alloquendi
Data eſt copia: Dic, age, ô venuſta,
Quid flebas modò, me canente, quæſo?
Parce ah, quærere, parce, dixit illa,
Extinctus mihi nuper eſt aſellus,
Qui non diſſimilem tuæ ſubinde
Tollebat reſonans ad aſtra vocem:
Tenere hinc lacrymas memor nequivi.

XII.

ΘΡΗΝΟΣ

ἐπὶ τῷ Λεσβίας στρουθῷ.

Ἰοῦ κλαίετε Κύπρι καὶ Ἔρωτες
Ὅσοι θ' ἱμερόεντες ἄνδρες εἰσίν.
Ἰοὺ στρουθὸς ὄλωλε Κούρης
Ὃν αὐτοῖς ἴσον ὄμμασιν φίλησεν·
Ἦν γὰρ μειλίχιος, φίλην τε κείνην
Ἔγνω δεσπότιν, ὡς τεκοῦσαν ἡ παῖς.
Οὐδ' αὐτῆς ποθ' ἑκὼν λίλοιπε κόλπους
Ἀλλ' ἔνθα πλάμενος, καὶ ἔνθα, μόνην
Πιππίζων ἐς ἄνασσαν ἧκεν αἰεί,
Ὃς νῦν βῇ διὰ νύκτα πρὸς τὸν οἶκον
Ὅθεν νόστιμός ἐστι, φασίν, οὔτις.
Σὲ δ' ὁ Ζεὺς ὀλέσαι νὺξ κακίστη
Εἰς ἧς δώματα πᾶν καλὸν καταῤῥεῖ,
Ἥ μοι στρουθὸν ἕλες ποθεινὸν οὕτω.
Φεῦ τὸ σχέτλιον ἔργον, αἲ σὺ δειλέ,
Αἲ στρουθὲ πεποθητέ, σου χάριν νῦν
Κούρης ὄμματα τῆς ἐμῆς ὑποιδεῖ
Τῶν πικρῶν ἀπὸ δακρύων ἐρυθρά.

CLAUD. FRAGUERII
DIATRIBA PRIMA.

De Dæmonio Socratis.

SOCRATES in Theage proprium ſibi fuiſſe ait ſignum quoddam *δαιμόνιον*, cujus admonitu atque impulſu non quidem ageret quidquam, ſed quæ noxia eſſent, ea vitaret. In quo quid ſibi velit, cùm res pertineat ad plures Platonis locos, operæ pretium eſt hîc diligenter inquirere. Notandum eſt primò non dicere Socratem adeſſe ſibi *δαίμονα* aliquem, cujus inſtinctu aut alloquio regatur, ſed ſignum quoddam *δαιμόνιον*. Ut autem divinum id dicimus, quod à Deo proficiſcitur; & humanum, quod proficiſcitur ab homine; ita *δαιμόνιον*, cui nomini nullum latinè nomen reſpondet, dicitur id quod à dæmone aliquo ſive genio provenit. Non eſt itaque in hac enunciatione, *dæmonium Socratis*, dæmonium nomen, ut aiunt, ſubſtantivum, quemadmodum legitur in Pſalmis, *Omnes dii gentium dæmonia*: ſed eſt nomen, ut Grammatici loquuntur, adjectivum, quemadmodum divinum aut humanum adjectiva ſunt. Uno verbo, *δαιμόνιον σημεῖον*.

Jam videndum eſt quid nomine dæmonis intelligat Plato. In Convivio Socrates ex Diotimæ, ut ait, doctrinâ, quæ eſt eadem in Timæo,

medium quid eſſe ait Deum inter & homines, dæmonem: quæ acceptio hujus vocis tota eſt à Philoſophiâ. Apud Homerum enim, qui dii ſint, iidem appellantur dæmones. Atque ut altiùs perſcrutemur ſententiam Platonis, ſupremum numen quoddam ac Deum eſſe confirmat, in quo perfecta ſint omnia. Hunc eſſe exemplar omnis boni, atque animam hominis hactenus eſſe bonam, quatenus accedit ad illius ſimilitudinem: ad quam ut illa perveniat, ſcientiâ omnino & perfectâ rerum cognitione inſtructa ſit neceſſe eſt: quod cùm evenerit, tum animam ipſam quaſi Deum appellare non veretur.

Cùm verò non accuratiſſimâ rerum ſcientiâ, ſed opinione verâ ducti agant plerumque vel ſapientiſſimi hominum, tum exſiſtit illud quod divinum quidem non eſt, ſed δαιμόνιον, quod eſt interjectum inter ſcientiam, quæ Dei propria eſt, ac hominem ſapientem quaſi Deum efficit; & ignorantiam, quæ vulgus hominum inter bruta animantia quaſi relegat. Itaque apud Platonem Timæus datam ait animam homini quaſi dæmonem domeſticum, quo regatur.

His ita explicatis conſectarium eſt δαιμόνιον dici id monitum, non quod à perfectâ ſcientiâ, quæ proinde nuſquam eſt obnoxia errori, ſed quod proficiſcatur ab opinione.

Hinc non eſt difficile definire cur dicat Socrates in hoc valere δαιμόνιον illam ſignificationem, ut ſe cohiberet ab agendo, non autem ut ad agendum impelleret. Agere enim ex opinione, non eſt ſapientis; retrahi autem ab agendo nonniſi ex opinione ſæpe poſſumus. Alioqui habenda eſſet certa futurarum rerum cognitio. Sufficit

igitur ad non agendum aliquid, pravè agendi periculum, quod nunquam abeſt, niſi certiſſima adſit ſcientia. Atque ut hoc in exemplo fiat illuſtrius; cùm adhuc eſſet puer Alcibiades, cauſa nondum erat Socrati ut cum eo de rebus philoſophicis diſceptaret. Valdè enim in incerto erat an intempeſtivus de rebus ſeriis diſputandi labor odium Philoſophiæ in puero ac faſtidium excitaret. Abſtinuit itaque Socrates vetitus, ut aiebat, monitu δαιμονίου. Cùm autem jam adoleviſſet Alcibiades, tum incepit Socrates ſeriò cum illo agere; id quod licebat per ſilentium δαιμονίου monitoris. Verum enim erat excellentem naturam Alcibiadis retrahere à vitiorum contagione, & ad virtutem impellere: quod non ſine fructu factum à Socrate declarat ipſe Alcibiades in Convivio.

Atque id quod dixi de Alcibiade, accommodari omnino poteſt ad alia exempla omnia, quæ paſſim occurrunt apud Platonem, & ſunt in Theage potiſſimùm à Socrate expoſita, vel ex Socraticis decerpta narrantur à Cicerone in priore libro de Divinatione.

Hæc eſt, niſi fallor, vera Socratici dæmonii explicatio, de quo multa multi dixerunt tum ex veteribus, tum ex recentioribus parum aptè omnes. Nam quidam tantùm non magum fecerunt Socratem, qui familiarem ſecum haberet dæmonem, cum quo colloqueretur. Tum extitit inter ſcriptores Chriſtianos homines eruditos, à nobis longè diſſentientes, diſceptatio quædam ſanè mirabilis, dæmon ille eſſet ex bonis geniis, an ex malis? Bonum certè fuiſſe conſtat, non quidem dæmonem, tanquam perſonam

aliquam, ſed dæmonium illud monitum, quod Socratem ſemper ab aliquo vel malo vel periculo avocabat; opinionem veram videlicet, ſed opinionem tantùm de rebus futuris ac rerum eventibus. Atque utinam ſemper talem in nobis haberemus monitorem, quo in omni actione vitæ prudentiores eſſemus & cautiores. Talem omnino videtur habuiſſe Cicero, cùm pericula Reipublicæ tam accuratè prævideret: quod patet ex pluribus locis epiſtolarum ejus ad Atticum. Tali dæmonio utebatur Marcus ille Cato, qui Uticæ, ne vultum tyranni videret, mortem ſibi ipſe conſcivit, cùm imminentem Reipublicæ calamitatem multò antè clariſſimè denunciaret, ut eſt apud Plutarchum in Catone. Talem denique auctorem ac ducem ſequuntur ii ferè omnes, qui vel in procurandâ re domeſticâ, vel in adminiſtratione Reipublicæ ſagaciſſimè id, quod eſt futurum, ſolent odorari.

Quod diximus de ſignificatione vocis δαιμόνιον, etſi per ſe verum eſt, neque indiget confirmatione ullâ, ſtabilire tamen abs re non eſt ipſius Socratis verbis, in Apologia. Eo quippe devenerant amentiæ ipſius accuſatores, ut atheum illum eſſe dicerent, cùm tamen ſcripſiſſent in accuſationis formulâ, induci ab eo nova quædam dæmonia. His reſpondet Socrates in hunc modum: Si dæmonia induco, utì dicitis, certè dæmones aliquos eſſe ex veſtrâ ſententiâ exiſtimo; ſi dæmones, certè etiam deos. Ex quo loco patet, δαιμόνιον eſſe id non quod ſit vel deus vel dæmon ipſe; ſed quod ad dæmonem pertineat.

Noſtram hanc de Socratis dæmonio ſententiam neque omnino vidit Cicero, neque pror-

& apud Horatium:

Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem:
Solve ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Atque ipſe Socrates apud Platonem in Hippiâ priore ſive majore, Hippiam interrogat, ſic tanquam ex perſona cujuſdam quem habeat familiarem & domeſticum, hominem ſubruſticum, quíque, cùm lepores & florem orationis aſpernetur, id curet unum, quid verum, quid falſum ſit; qui homo omnem diſputationis illius rationem, utì aliarum, cùm à Socrate acceperit, ſuis debeat ponderibus examinare, utì dicemus in ejus dialogi argumento.

In his exemplis omnibus quæ ex aliis retulimus, quæque colligi plurima nullo negotio poſſunt, illud tenendum eſt Deorum voce ac numine impelli homines ad agendum; Socratem verò voce ac ſignificatione ſui monitoris ſemper ab agendo revocari. Quod qui non ſatis attenderit, in alia omnia abire potiùs illum neceſſe eſt, quàm vim naturamque dæmonii Socratici perſpectam habere.

DIATRIBA SECUNDA.

De ironia Socratis.

NIhil habuit in omni actione vitæ propoſitum aliud Socrates, niſi ut populares ſuos ex malis bonos, ex bonis quamoptimos faceret. Quod antequam invictis diſciplinæ ſuæ rationibus

bus conſequeretur, operâ ipſi duabus omnino in rebus erat ponenda. Nam ſevocandi erant juvenes à ſtudio inutilium diſquiſitionum, quæ neque habent in ſe ullam partem veritatis, & ad informandos mores nihil pertinent: ſunt tamen ita intricatæ, ita perceptu difficiles, ita obſcuræ, ut qui in his ætatem omnem contriverit, nondum habeat perfectam earum ſcientiam. Hujus generis omnia ſunt quæ Phyſicorum artibus continentur. Itaque in his rudem ſe atque imperitum profitebatur Socrates. Idque faciebat ſine convicio, imò ſæpe cum affectata eorum laudatione qui in iis excellere ſe volebant exiſtimari: cùm tamen eorum vanitatem & inconſtantiam non diſſimulanter & ſubtiliùs argueret.

Alia ſunt quæ cùm ad mores pertineant, aut ut bona ſint, malè tamen traduntur à doctoribus; aut utì prava ſunt & diſtorta, nihilominus tamen tamquam recta & vera docentur ab iiſdem & defenduntur. Hujus perverſitatis corrigendæ duplex ratio eſt: aut enim id fit oratione perpetuâ, & argumenta cum argumentis contendendi labore, quod quidem ut eſt obnoxium diſceptationis argutiis, vix ullum reperire exitum poteſt: aut id efficitur brevioribus quæſtiunculis & quaſi punctis interrogando. Hujus alterius rationis & viæ præcipua dos eſt, quòd deterſo veluti eloquentiæ fuco, quod quiſque ſentiat, id aperire ſtatim cogatur, & nudè abſque fallaciis & calumniâ proferre in medium.

Atque id genus quod ſequi Socrates optimum judicavit, cùm habeat in ſe ruſticitatis nonnihil, mitigari lepore debet, & blanditiis quibuſdam ſermonis molliri. Nihil autem pla-

niorem nobis aperit viam ad conciliandos aliorum animos, eorumque ſententiis cognitis evellendos, ſine cujuſquam injuria, errores, quàm ſi de nobiſmetipſis demiſsè ſentire videamur: atque earum rerum de quibus diſputatio eſt, certam habere nullam ratamque cognitionem. Quæ pars eſt ironiæ non minima: veraque, &, ut opinor, honeſta ratio, cur eam quaſi ſibi propriam fecerit in omni ſermone Socrates.

Duplex enim hominum genus eſt: unum, quod majora ſua omnia faciat, iique ἀλαζόνες vocantur: aliud, quod minora, & ii dicuntur εἴρωνες. Utraque appellatio ex Ariſtotele. Princeps in hoc ultimo genere fuit Socrates; in primo, ii qui dicebantur Sophiſtæ, quorum hoc erat quaſi inſigne, ſcire ſe omnia & docere poſſe; ita ut ab eorum diſciplina profecti juvenes ad cognitionem rei cujuſlibet nullo negotio pervenirent. Non poterant tamen ignari doctores & inepti efficere diſcipulos niſi ineptos & ignaros.

Cum iis Socratis erat omnis ferè concertatio, quos ut & laceſſeret familiariùs & efficaciùs confutaret, ironiæ arte & quaſi lenocinio utebatur. Itaque profiteri primùm ſcire ſe nihil, ſic tamen ut diſcendi ſtudio flagraret: docerent igitur quod ſine ipſorum incommodo fieret, nec ſermones adhiberent pro more longiores, quod ipſe adſequi vix poſſet quæ pluribus verbis traderentur; ſed ut erant parati ad utrumque, vel dicere, vel reſpondere, quæ interrogando proponeret, iis reſpondere non recuſarent. Ita irrepebat in eorum animos, & ſuos leniendo faciebat. Arripiebant ſuperbi homines oſtentandæ doctrinæ occaſionem: & cùm neque ratione ne-

que viâ procederent, poſtquam eſſent huc illuc temerè divagati, induebant ſe in laqueos veritatis, & quam ipſi non agnoſcebant, prodebant apud alios inſcitiam ſuam. Hæc erat ironiæ vis; quâ quidem uti non cujuſvis hominis eſt: tota enim pendet à veritate nudâ & ſimplice, quæ abjiciat ornamenta illa, quibus niſi veſtita ſit, vix faciat fidem apud homines. Ironiâ qui utatur habeat in animo neceſſe eſt firmam, ratam, inconcuſſam ejus rei, qua de re diſputatur, cognitionem. Alioqui cùm ſibi detrahet aliquid, & cùm parcet viribus, & eas extenuabit conſultò, jam hæc non erit calliditas in diſputando, ſed mera demonſtratio ſtultitiæ. Lepore tincta ſit oportet ac facetiis inſperſa oratio: non illis quidem ſcurrilibus, ut ſit comœdiæ ſimilis, ſed urbanitate conditis eâ quæ ſapiat homines liberaliter inſtitutos atque elegantes; artis autem ne veſtigium quidem ullum appareat.

Atque ut congruenter efficta ſit ſermoni perſona τοῦ εἴρωνος, nihil debet præ ſe ferre ſingulare aut egregium. Sumet exempla de medio, ac ne à vitiis quidem & pravâ civium ſuorum conſuetudine abhorrere primo intuitu videbitur. Itaque cùm in fingendis Socratis ſermonibus mirificus eſſet Plato, in quibus veram ironiæ formam exhibuit, ne peccaret in perſona, puerorum in eo amorem effinxit quemdam, qui primâ ſpecie ſimilitudinem haberet cum horribili, ſed familiari Græcorum vitio, à quo, ut demonſtrabimus alibi, longiſſimè aberat vir ſanctiſſimus. Eâdem de causâ, ne prudentiam quidem ullam habere ſe futurarum rerum ut ſignificaret Socrates, quidquid rectè ſolebat conjectare ac propè

divinare de rebus futuris, id omne tribuebat non judicio ſuo, ſed monitioni cuidam, quam acciperet non à Deo quidem, (nam nihil in animo divinum eſt, niſi quod certiſſimis nititur argumentis) ſed ab aliquo dæmone, qui pareret in eo non ſcientiam, ſed opinionem veram. De quo quid ſentiamus aperuimus, ut opinor, ſatis alio in loco.

Neque ſolum in eo poſita ironia eſt, ut quis ſeipſum premat, vireſque ſuas extenuet; ſed habet etiam laudationem aliorum, in quibus ea extollat non quæ laudanda verè ſint, ſed quæ vulgò laudentur. Quo in genere ſunt forma, opes, cultus, habituſque corporis; ſtudium amplificandæ rei familiaris, ac lucri ex doctrina faciendi: quæ omnia cùm in Sophiſtis magni facere videtur Socrates, tum ironiâ utitur maximè. Huc adde Poëtarum admirationem, divinitatemque quamdam, quam eis tribuit: tum quod divino inſtinctu & afflatu, quæ θεῖα μοῖρα dicitur, viros bonos & eſſe & fieri non uno in loco diſputat. Quam vim ironiæ cùm non ſatis attenderent homines doctiſſimi, ea tribuerunt Socrati, quæ omnino abhorrent ab ejus diſciplina. Hujus rei exemplum proferam, quod eſt perilluſtre & latiſſimè patet ad intelligentiam doctrinæ Platonicæ: quod ſi fuiſſet ante nos ab aliquo obſervatum, meliùs eſſet conſultum & Platoni & eorum judicio. Locus is eſt in Alcibiade primo, ubi cùm laudare videatur Socrates Pythodorum, quòd magno ſit pretio eruditus à Zenone, qui Parmenidis ipſi doctrinam tradiderat eam, quæ in Parmenide dialogo ab Antiphonte recitatur, verè tamen omnem illius diligentiam irridet.

tamquam præpoſteram & inutilem. Id, inquam, ſi cum animo ſuo penſitaſſent ſtudioſi doctrinæ Platonicæ, vidiſſent profectò nec tanti factam eſſe à Platone, nec tanti porrò fieri debere doctrinam Parmenidis; quam tamen veluti genuinam Platonis diſciplinam in libris ſuis omnibus nobis obtrudunt. In hac habitant, & ex ea de Platone exiſtimari volunt, quaſi tricas quaſdam ſecutus ſit Plato, & quaſi tenebris abdere ſeſe voluerit, cùm potius verſatus ſit ſemper in luce clariſſima, eaque apprime docuerit, quæ utì facillimè poterant comprehendi, ita erant ad mores inſtituendos aptiſſima. Quare autem ex aliorum, præſertim exoticorum, non ex Socratis perſonâ, inſerta voluerit ea in libris ſuis, ratio eſt quòd voluerit conſtare apud omnes, quantùm diſciplina ſua omnis ad utilitatem hominum differret ab inutilibus argutiis & involutis neſcio quibus myſteriis, quæ ab aliis ſic tamquam ex tripode eſſent ad admirationem vulgi pronunciata. Qua de re dicemus ad Parmenidem, & ad alios quoſdam ejuſmodi locos, in quibus mira eſt eorum, qui vel maximum nomen habent apud literatos, allucinatio; inde videlicet nata, quòd ad alia properantes, non ſatis cognoverint perſonam in Socrate ironicam: & quæ ille ludendo dixiſſet, veluti effata quædam Socratica & veras ipſius ſententias in commentarios ſuos retuliſſent.

Adhuc hæc erant quæ de Socratis Ironia diceremus; quam ut probè quis perſpiciat, priùs vera ipſius ſenſa præſertim ex dialogo qui eſt de Juſtitia, accuratiſſimè perſpexerit neceſſe eſt. Quod nos in operibus Platonis illuſtrandis, quan-

tum in nobis erit, planum faciemus: & veritatem ab ironia ſummo ſtudio diſcernere ſtudebimus.

DIATRIBA TERTIA.

De moribus Socratis.

NOn eſt hæc quam inſtituimus laudatio Socratis: quid enim attinet laudare hominem eum, quem boni omnes & ſapientes viri conſenſerunt optimum ſapientiſſimumque fuiſſe virum? & Delphica Sacerdos Apollinis congruenter communi famæ declaravit ſapientem unum inter omnes? Defenſio quædam eſt adversùs eos, qui flagitioſæ turpitudinis crimine, Socratis aliquando famam in invidiam vocare conati ſunt: quo in numero fuerunt ex Ethnicis, ut vocant, nonnulli. Quidam autem ex Chriſtianis, ut majore convitio proſequerentur ethnicos omnes, præclarè ſecum actum iri putaverunt, ſi perſuaderent hominibus, quod ſcelus remotiſſimis temporibus conflagratione urbium, immiſſis è cælo ignibus à præpotente numine punitum eſt, & ab eodem deinde vivicomburii terrore prohibitum, quodque etiam Romæ fuit infamiâ publicâ, & lege Scantiniâ profligatum, eo fuiſſe Athenis inquinatum Ethnicorum optimum Socratem: in quibus Socratis obtrectatoribus nollem fuiſſet vir * ingenio præſtans, & Poëticæ laude florentiſſimus, mihique, dum in vi-

* *Nic. Bolaus.*

vis fuit, conſuetudine & amicitiâ conjunctiſſimus.

Aïo igitur nullas fuiſſe cauſas, cur apud poſteros malè audiret Socrates; plurimas autem, cur ejus continentiæ & caſtitatis fama celebraretur.

Duûm generum adverſarios habuit. Nam Ariſtophanes proſcidit eum in theatro totâ comœdiâ, quâ præmuniebat viam ad ea crimina, quibus illum opprimere jam tum alii meditabantur. Omnia facetè & ridiculè commentus eſt in ea fabula Ariſtophanes: dicerem, ineptè, niſi ſcirem aptum id fuiſſe ad ducendam plebeculam, quæ plurimum Athenis poterat: cúmque dicta in eum jaceret, factiſque & verbis odium in eum populi concitare moliretur homo impudens & obſcœnus, verbum tamen in fabula nullum admiſit, quo vel tantillum innueret amoris libidinem in Socrate. Curioſum fecit, & in minutis quibuſdam ſeu Dialecticorum quæſtiunculis, ſeu Phyſicorum nugis, otio abutentem. Erat id quidem falſiſſimum; ſed accommodatum tamen ad captum imperitæ multitudinis, cui ſatis eſt ſi Philoſophus quis audiat, ut idem habeatur & in myſteriis quibuſdam naturæ nimius, & impius in Deos. Itaque cùm alia multa diceret Ariſtophanes, abſtinuit atroci convitio. Sciebat enim fingi ac formari oportere fabulam ad ſimilitudinem veri. In quo perfacile fit fucum facere populo in ſtudiis doctrinæ; non item in moribus hominis, præſertim ſi ſunt ii, ut erant in Socrate, notiſſimi.

Hactenus de Ariſtophane, cujus Nubibus excitata quidem in Socratem plebs Athenienſis,

contemnere illum atque odiſſe potuit, vitam ejus ac mores reprehendere certè non potuit. Igitur cùm accuſatores alii triſtes & iniqui homines nomen Socratis aliquamdiu pòſt ad judices detuliſſent, mores ejus & caſtitatem ne verbo quidem læſerunt. Accuſationis libellus habet crimen impietatis in Deos: quaſi Socrates, qui perſcrutari curioſiùs rerum naturam diceretur, nova quædam inveheret in religionem; quæ cùm doceret juvenes, eatenus dicebatur deteriores illos facere, quatenus eos à ſacris patriis & popularibus, ad alia quædam abduceret. Hoc tantum. De impura autem libidine omnino nihil. Erat illa tamen receptis etiam Athenienſium legibus vetita, ut patet ex oratione Æſchinis in Timarchum, & graviſſimis pœnis coërcebatur. Adde infamiam, quæ vitio huic, nimiùm ſanè vulgari apud Græcos, adhærebat. Quod colligere eſt imprimis ex Plutarcho in Alcibiade. Is enim etiamnum puer, cum è tutorum ſuorum domo ſe proripuiſſet, ſeque ad amatorem quemdam ſuum contuliſſet, latítaretque ejus in ædibus per aliquot dies, voluit unus ex ejus tutoribus Ariphro publici præconis voce elicere illum è latebra: cui Ariphronis conſilio Pericles alter ejus tutor vehementer obſtitit, cùm diceret, ſe, ſi eſſet mortuus Alcibiades, ſcituros id eâ ratione unâ tantum priùs die, quàm quieti reſciviſſent; ſin autem viveret, tantum infamiæ ac dedecoris collecturum puerum Alcibiadem, quantum eluere vel longiſſimâ vitâ non poſſet. Quod ſi verum fuit de puero, cujus ætas per imbecillitatem obnoxia eſt ludibrio alienæ libidinis, nullius eſt negotii judicare quod fuiſſet Athenienſium judicium

cium de viro, qui puerorum infirmitate ad explendam libidinem abuteretur.

Cùm ergo neque in ſcena ab hiſtrione, neque apud judices ab accuſatoribus infenſiſſimis, ne in ſuſpicionem quidem tantæ turpitudinis vocatus ſuo tempore fuerit Socrates, non video quid cauſæ fuerit, quamobrem reus à poſteris ageretur. Fuerant enim ii homines nec in inquirendo ſegnes, quippe quos aut livor aut odium ſtimularet, nec in agendo diſſoluti.

Multa in eam rem dici poſſent de perverſitate hominum, qui inter ſapientiſſimos ex omni antiquitate viros quærerent auctores flagitiorum ſuorum, aut de Poëtarum licentia, qui lacerarent vel optimos, atque ipſi virtuti invidiam quærerent: aut de Chriſtianorum denique Doctorum ingenio, qui religionis noſtræ dignitatem præſtantiſſimam illam quidem ac divinam, aliquantò illuſtriorem facere ſe poſſe crediderunt, ſi quàm deterrimos facerent eos, qui vitam egiſſent priuſquam lux illa cæleſtis hominum generi affulſiſſet. Quo ex numero cùm nonnullos excerpimus, tum præcipuè Juſtinum illum, qui virtutum ſplendore vivus, ſanguine ſuo rem Chriſtianam moriens confirmavit. Nam is & magnificè laudavit Socratem, & plura etiam de illo dixit, quàm licere Chriſtiano Theologo multi arbitrentur. Sed hæc & plura cùm inveniri facilè poſſint, non inviti prætermittimus.

Jam quod dixi plures eſſe cauſas, cur ab ejuſmodi turpitudine ac labe alienus habendus eſſet Socrates, id omnium ejus ſermonum, qui variè ſunt & copiosè ſcripti à Platone & Xenophonte, teſtimonio efficitur. In his litera nulla eſt, quæ

non dirigatur ad virtutem. Ea ipſa nequitia, quæ in Republica ſubinnuitur à Glaucone, ſeveriſſimè à Socrate condemnatur. Ejus operis (Rempub. dico) qui extremos libros legerit, ac præcipuè nonum; qui legerit item Phædonem, aut Philebum, in quibus voluptates omnes, quæ ſenſibus capiuntur, ſtudet omni curâ profligare, is quàm magnæ, quàm graves cauſæ ſint abſolvendi Socratis, judicabit. Cujus verò doctrinæ ſtudio juvenum animos ſolitus erat inflammare Socrates in colloquiis, hanc illum vitâ & moribus ſuis expreſſiſſe probat invictè, etſi nimium fortaſſe diligenter, in Convivio extremo Alcibiades; ubi ea de ſe ipſo dicit ebrius, quæ ſobrius nunquam ſanè dixiſſet, neque quiſquam niſi ab homine ebrio ſatis honeſtè audire poſſet. Unde clariſſimè intelligas id quod eſt de Alcibiade proditum à Cicerone, in libro quem de Fato conſcripſit. A quo enim contemptus fuiſſet Alcibiades, ab eodem amari nihil poſſe judicabat. Mirabilem verò agnoſcere nos oportet Platonis induſtriam, qui unico exemplo poſteris omnem calumniandi Socratis cauſam eripuit. Rectè Quintilianus Inſtit. Orat. lib. VIII. cap. IV. *Nec mihi videtur in Sympoſio Plato, cùm Alcibiadem confitentem de ſe quid à Socrate pati voluerit, narrat, ut illum culparet hæc tradidiſſe: ſed ut Socratis invictam continentiam oſtenderet, qui corrumpi ſpecioſiſſimi hominis tam obviâ voluntate nòn poſſet.*

Itaque Plutarchus, qui mores graviſſimorum hominum notat accuratè, etiam cùm ad amoris libidinem deflectunt, ut obſervare pronum eſt multis in locis, ac præſertim in Themiſtocle &

Ariſtide, quorum rivalitatem inde natam refert ex Chio Ariſtone, quòd uterque formoſi ejuſdem pueri amore tenerentur, (ſi tamen id eſt credibile de tantis viris, ac præſertim de Ariſtide) & eandem ſeveriſſimè condemnat, ut videre eſt in vitâ Demetrii: idem in Alcibiadis vitâ cùm de illius & Socratis familiaritate diſſerit, ne ſuſpicionem quidem flagitii ullam inducit, quam amoveat. Quod, qui Plutarchum nôrunt, intelligunt profectò eſſe qualibet apologiâ efficacius. Refert idem dictum Cleanthis Philoſophi, qui cùm videret ad optima ſapientiæ inſtituta accuratè fictum à Socrate Alcibiadem, declinare tamen ad vitium, & adulatorum blanditiis corrumpi, dixit verè, ſed impudentiùs quam hic Latinè verti debere exiſtimem, nonniſi aurium delectatione teneri Alcibiadem à Socrate, cùm ſenſus ejuſdem alios alii voluptatum illecebris occuparent.

Piget in re tam perſpicuâ tam multa dicere; ſed nimirum danda fuit hæc explicatio veritatis, vel perverſis quorumdam hominum moribus, vel ignorantiæ aliorum: quos ſua pietas ad errorem & injuſtitiam abducit.

Sed quia Socratis familiaritas cum junioribus fecit ut pateret ejus vita maledicentiæ poſterorum, eamobrem, cur eâ familiaritate uteretur aſſiduè, paucis eſt hoc loco aperiendum. Solebat ſcilicet, quantùm in ipſo erat, omnes ab errore ac vitio traducere ad veritatem & virtutem: quod cùm in confirmatæ ætatis viris, in quibus eſſent confirmati errores & vitia, facile non eſſet, in juvenibus agi utiliùs poſſe judicabat. Pendere enim cenſebat à primâ morum inſtitutione

vitam omnem: & , ut fruges in ſemine, ſic *primis* judiciis contineri omnia quæ ad reliquum vitæ curſum pertinerent. Faciebat igitur duo Socrates: nam ut noxias quaſdam herbas ex agro aliquo, ſic ex animis juvenum evellebat opiniones pravas, quas vel à parentibus primùm acceperant, vel deinde à Sophiſtis: & eliciebat innata in eis ſemina virtutum, atque ad bonam frugem adducebat. Cujus rei teſtes appellat *ipſe* in Apologiâ eos, qui doctrinam ſuam juvenes imbibiſſent, erantque tum cùm accuſaretur, ætate provectiores. Ergo ut conſilium ſuum perficere facilius poſſet, ùt eſt flexibilis ad omnem vitæ habitum conjuncta cum bonitate ſapientia, mirè ſe accommodabat ad juvenum conſuetudinem; fingebat ſe ac flectebat tantùm non ad eorum mores; derideri ſe ab iis aliquando patiebatur, ut patet ex Menone, & amatorem, ſi Diis placet, etiam eſſe ſe non gravatè ſinebat exiſtimari: ſic tamen ut ab iis initiis profectus, deſineret in graviſſimis præceptis ſapientiæ, ut in Charmide & in Convivio videre eſt.

Patere jam cuilibet ſpero, quid cauſæ ſit, cur & crebrò cum juvenibus verſatus fuerit Socrates, & cur eum inducat Plato ita cum eis diſputantem, ut fortaſſe non ſatis abhorrere à deliciis videatur. De quo diximus, ut opinor, ſatis ad perſuadendum quid ſentire nos oporteat, & hic, & tum cùm egimus de Socratis Ironia.

Hic autem locus poſtulare videtur ut exponamus quid ſit quod ait non uno in loco apud Platonem Socrates, ſcire ſe nihil niſi τὰ ἐρωτικὰ, ſive ea quæ ad res amatorias pertinerent. Cujus quaſi ænigmatis vera eſt hæc & facillima, ut qui-

dem videtur , explanatio , duabus partibus conſtans , quâ ſcilicet ratione amaret ipſe , tum quid alios de amoris vi & natura doceret. Amare nihil eſt aliud , quam bene velle. Quæ qui diſtinguunt , viderint quomodo ſe ipſi intelligant. Fecit certè Catullus in amatorio carmine , his verſibus :

Amantem injuria talis
Cogit amare magis , ſed bene velle minùs.

Atque id , ut varia eſt & parum ſibi conſtans cupiditas & amoris libido , poſſit fortaſſe non intelligi quidem planè , ſed quaſi divinari quale ſit in rebus amatoriis. Accuratè autem & verè ſi quis loquatur , intelligi non poteſt. Maneat igitur idem eſſe bene velle , quod amare. Qui autem bene vult alicui , id illi adeſſe vult , quod optimum eſſe judicat : quod qui non velle tantùm , ſed efficere poteſt ac præſtare , is veluti artem benevolentiæ habere dici meritò poteſt : is ſcire τὰ ἐρωτικὰ : quo in genere excellens fuit Socrates. Curabat enim eam in homine partem quæ optima eſt & quaſi divina , eamque certiſſimis de vero ac bono judicandi regulis inſtruebat. Ita verò artem illam amandi ſuam ad aliorum utilitatem exercebat , ut eam cum ipſis omnino communicaret : id eſt , non præceptis modo quibuſlibet , ut veteres ante illum faciebant , quorum jactantur in vulgus dicta ſapienter , & erant inſcripta in templo Apollinis Delphico ; ſed diſciplinam tradebat integram , quæ partibus omnibus conſtans omnem vitæ rationem complectebatur. Hæc autem erat , quatenus ſpectabat ad amorem , unde partes ejus aliæ adduci poterant , ad virtutem cognoſcendam to-

toque animo amplectendam. Amor nonniſi Pulchri eſt: nam & ad Pulchrum ſponte ſuâ fertur, & acquieſcit in Pulchro. Pulchrum autem eſt id in quo apta ſunt omnia, & ad naturæ perfectionem atque abſolutionem ordinata: id quod vidiſſe Stoïci non immeritò videntur. Elucet id maximè in animis, quorum natura ſimplex mutationem non admittit: in corporibus verò, quæ ne puncto quidem temporis in eodem ſtatu ſunt, vix habet ullum locum. Ergo animorum verus eſt amor, & idem propriè ſolus. Atque hunc conciliandi duplex eſt via, uti docet in ſexto de Republica libro Socrates: nam aut ex rebus quæ oculis uſurpantur, & habent aliquam ſimilitudinem pulchritudinis, gradum ſibi quiſque facere poteſt ad eas, quarum pulchritudo ſolius mentis oculis perſpici poteſt, & ad fontem caputque ipſius Pulchri: quæ methodus Geometrarum eſt; quam quidem viam ac methodum adſequenti Pulchri commonſtrat ex doctrina, ut ait, Diotimæ Socrates in Convivio. Aut à contemplatione Pulchri ipſius, quæ Græce ἰδέα Pulchri, ſpecies Latinè dicitur, deſcendi poteſt ad cognoſcendam formoſitatem quæ ineſt in aliis rebus: quæ methodus Dialecticorum eſt; quod iter ipſe deſcribit in Phædro. Qui autem ad illud admirabile ſpectaculum ſemel admiſſus ſpeciem ipſam Pulchri animo adſpexerit, næ ille parum curabit inferiora omnia, neque mortalis ullius rei formoſitate capietur: proponetque ille id unum ſibi, ut & in corpore & in animo habeat omnia quàm ordinatiſſima: cui formæ ac regulæ nihil eſt tam contrarium, quàm quæ oritur ex voluptatibus ac libidine mentis perturba-

Arctophylax, Coluberque ingens, atque Arcades Urſæ.
Huc mentem, huc vigiles oculos advertere Magnes
Sueverat, & motus numeris ſignare, locoſque.
Inde rudes pelagi nautas, vix ſumma legentes
Littora, vix trepidis auſos vada ſcindere remis,
Pandere vela jubet pelago, terriſque relictis
Aſtra ſequi, claroque docet confidere cælo.
Imprimis geminas attendere juſſit ad Arctos,
Arctos æquoreo fugientes gurgite mergi:
Ut Tyrias Cynoſura brevi regat orbe carinas,
Et Grajas Helices agat ingens circulus alnos.
Quinetiam vigili deprendit ſedulus arte,
Quot gradibus terras ſuperet Polus. Æreus axis,
Gnomona quem Graii patriâ dixere loquelâ,
Cuditur, ut magno mundi reſpondeat axi.
Altera pars impacta ſolo eſt, pars altera ſurſum
Erigitur, ſpectatque Polum, monſtratque per umbras
Solis iter, ſpatiis & tempora dividit æquis,
Biſſenaſque diem ſolidum partitur in horas.
Quæ poſtquam ſtudio fuerant comperta ſagaci,
Privatos non hæc tacitus ſervabat in uſus;
Edebat diſcenda palam, cœtuque frequenti
Intima pandebat magni miracula mundi.
Atque hæc Magnetis demum dictata ſecuti,
Artibus egregiis vitam excoluere nepotes,

Quos Syros, quos alta Samos, Grajæque Crotonis
Felix ora tulit, Lacedæmoniumque Tarentum,
Doctorumque Pharos nutrix fœcunda virorum.
Illo Pythagoras redivivus dogmata fonte
Hauſta tulit populis Italûm, quæ deinde ſecutus
Edidit Archytas inter pineta Galeſi;
Et docta Archytæ ſoboles Ægyptius Horos,
Quique novum ſydus gaudentibus intulit aſtris
Regalem Bereniceo de vertice crinem.
Hæc hominum faciles animos, juvenumque, ſenumque,
Hæc adoleſcentum mentes cepere novellas.
Noctes atque dies affixi poſtibus hærent,
Circunſtant, urgentque virum, prenſantque rogando.
Ille rudes format populos, obſcura reſolvit;
In dubiis reſponſa refert, animaſque jacentes
Tollit humo ſurſum. Juvat ire per æthera magnum
Hoc duce, & occultos terræ penetrare receſſus;
Aëriaſque domos, & avari viſcera ponti.
Hoc duce, quas homini prudens natura negavit,
Quæſivere vias. Ludus fuit æquoris undis
Commiſiſſe animas: auſi conſcendere ſummum
Aëra, & audaci nubes tranare volatu,
Præpetibus pennas circumpoſuere lacertis.
Hac demum fretus mirandâ Dædalus arte
Inſolitum per iter Minoïa vincla fefellit.

Verùm

Intextaſque auro veſtes, & florea ſerta ;
Et quæ multa leves prolectant dona puellas.
Quondam etiam, ſi fortè vacat, nec juſſa morantur
Junonis, placidis demulcet cantibus Irin,
Argutos tereti perſtringens pectine nervos,
Divinumque modis aſpirat Phœbus amorem.
His penitùs molliti animi Thaumantidos, & jam
Victa labat: non occultum ſub pectore vulnus
Secum alit, aut cæcos tacitus pudor opprimit æſtus:
Dulcibus illa palam flammis favet; anxia cælo
Quærit amatorem paſſim, arridetque reperto.
Compellat, miſcetque jocos, nec ſola recuſat
Colloquia, & lenes ſerâ ſub nocte ſuſurros:
Non thalamos ſubeuntem arcet, foribuſque repellit.

At non hæc Majâ genitum latuere per auras
Labentem cælo, & rapidis talaribus actum.
Ad roſeam priùs hic oculos adjecerat Irin;
Sed duram obſequiis mentem expugnare puellæ
Dum ſtudet, illa Dei vanum fruſtrata laborem
Reſtitit, & blandos aliò convertit amores.
Scilicet is ſævum duxit memor inde dolorem.
Altè hærent animo, prælati injuria Phœbi,
Faſtiditi ignes, turpiſque offenſa repulſæ.
His ſuper accenſus, poſtquam æthere vidit ab alto
Iridis admiſſum furtim in penetralia Phœbum:
Illane, ait, tandem, præ te quam, ſancta, ferebas,

Illa pudicitia eſt? hic eſt rubor ille modeſtâ
Fronte ſedens, timido dejectaque lumina vultu?
Cùm juvenum cœtus fugiens caſtiſſima virgo,
Interiora domûs peteres, atque abdita clauſtris
Oppoſitam firmo munires objice portam.
Appliciti foribus nos ſupplex turba ſedemus:
Ornant ſerta feras, triverunt oſcula limen,
Et fruſtra ad ſurdos jactamus carmina poſtes:
Tu nos intereà poſtico, ſubdola, fallis,
Et furtiva patet venienti janua Phœbo.
Hunc juvat inde meas ridentem audire querelas;
Et tecum dulces per noctem dùcere ſomnos.
Veſtrorum at certè ſit Juno teſtis amorum,
Dîque, Deæque omnes. Superas ſic fatus in auras
Tollitur, & celeri Junonis ſacra volatu
Tecta petit. Juno auratis tum fortè ſedebat
Porticibus, magnâ Divûm ſtipante coronâ.
In mediis adſtans Tegeæus, Nunc ades, inquit;
Nunc ades, ô Juno, tua te ſibi poſtulat Iris,
Illa tuarum Iris teſtiſque & conſcia rerum.
Neſcio quis thalamos irrumpere virginis auſus
Dicitur oppreſſam validis retinere lacertis
Per mediam noctem, dum tu alto cum Jove dormis;
Omnia conſimilis Phœbo, faciemque, coloremque,
Et rutilos auro crines, floremque juventæ.
Et nunc ille quidem thalamo latet abditus; at mox,
Ni properas, vigilum curas eluſerit omnes.
Erubuit regina Deûm: nec talia credit

tio. Id enim ea eſt in animo quod morbus in corpore. Itaque à Philoſophis Græcis πάθος, à Poetis Tragœdiarum ſcriptoribus νόσος appellatur. Hæc erat Socratis diſciplina: ex cujus præſcripto vitam ipſe ſuam componebat, inſtruebat aliorum. Sic amabat, ſic amare Socrates docebat. Ita erat peritus in ἐρωτικοῖς, ſive rebus amatoriis. Ita cùm nihil de ceteris rebus ſcire ſe profiteretur, id unum affirmabat ſcire ſe, τὰ ἐρωτικὰ: quod idem erat ac ſi dixiſſet ſcire ſe ea quæ ad rectum vitæ ordinem regendoſque mores, uno verbo quæ ad virtutem pertinerent. Confirmabat autem omnino ſuam hoc de argumento ſententiam, neque dubitare ſe unquam dixit in iis quæ ſpectarent mores ac vitæ inſtitutionem. Et quod verbo dixit, re comprobavit. Cohibuit enimverò aſſenſum in Phyſicis; vel potiùs Phyſica, quorum utpote in horas mutabilium, nullam eſſe ſcientiam exiſtimabat, penitus omiſit. Nuſquam hæſitavit in moribus, ad quorum cognitionem cùm nonniſi Dialecticâ duce perveniri poſſit, Dialecticam adhibuit accuratiſſimè. Neque ullius unquam Philoſophi fuit diſciplina cohærens magis, & partibus ſuis omnibus compacta & coagmentata. Patet hoc cùm ex uno Platonis de Juſtitia dialogo, qui decem libris comprehenſus Reſpublica dicitur (quanquam & in aliis bene multis, ut in Phædone, Phædro, Gorgia, Philebo, & cæteris, idem omnino planum eſt) tum ex quinque Xenophontis libris, in quibus complexus ille eſt accuratam dictorum à Socrate memoriam, ubi Socrates omnia prope ex animi ſententia, nec ſimulatè, nec dubitanter aſſeruit. In quo ſæpe ſubit mirari, cur Cicero

dixerit in primò Tuſculanarum Quæſtionum *libro*, Socratem illud ſuum ut *nihil* affirmaret, tenuiſſe ad extremum, atque idcirco pronunciare noluiſſe perorantem apud judices, in Apologia, utrum homini melius eſſet vivere an mori: quaſi Socrates nihil affirmaſſet in vita. Quod etſi non omnino conſtanter dicit de Socrate, tamen & aliàs ſentire ſe Cicero indicat, & in exordio libri quinti ejuſdem operis, & in fine ſecundi de Divinatione.

Hæc igitur diſputantem conſtanter Socratem cùm in dialogis induxiſſet auditor Socratis Plato, à quo etiam amorem, eo videlicet quo explanavimus ſenſu intellectum, cùm laudari ſæpiuſculè feciſſet, incurrit poſteà Plato in offenſionem Dicæarchi Philoſophi Peripatetici, à quo eſt tamquam flagitii poſtulatus. Immeritò ſanè & iniquè. Cùm & ipſe voluptates amatorias ubique proſcribat, & illam deteſtabilem de qua hic agitur, vocet in legibus παρὰ φύσιν τόλμημα: procacem & flagitioſam naturæ violationem; ejuſque, tamquam ſtirpis cujuſdam peſtiferæ, fibras omnes ex animis hominum evulſas perſequatur, & elidere contendat accuratiſſimâ diſputatione, & latâ lege ſeveriſſimâ. Atque hoc in loco iterum non poſſum non admirari Ciceronem, & æquitatem ejus deſiderare, qui in ultima ferè pagina lib. IV. Tuſcul. Diſp. non injuriâ Platonem à Dicæarcho accuſari pronunciat.

Pauca hæc delibavimus ex doctrina Socratis, quod erant ad propoſitam quæſtionem neceſſaria: nunc quidem ſtrictim & preſſiùs; ſed erunt alii ejuſdem rationis enucleatiùs explicandæ ad Platonis elucidationem loci.

Quòd verò Socrates in colloquiis facultatem tantam ſuam tamque admirabilem diſſimulabat familiari quadam ac pænè humili, quæque eſſet obnoxia calumniæ, τῶν ἐρωτικῶν appellatione, totum id erat ab ironia, de qua nos diſputavimus alibi accuratè.

FINIS.

Pag.	*Verſ.*	*mendum*	*corrige*
38.	28.	Æthnæ	Ætnæ
50.	13.	ſaxa	*virgula*
51.	21.	capeſce	capeſſe
52.	25.	capeſcere	capeſſere
68.	6.	immitti	emitti
72.	8.	pingue	pingui
101.	3.	ſidus	ſinus
107.	10.	κάδος	*deleatur*
123.	8.	Œhalidum	Œbalidum
131.	15.	laceſcit	laceſſit
174.	25.	Boſphori	Boſpori
188.	25.	mollidus	mollibus
189.	7.	tota	torta
269.	17.	D trahe	Detrahe

JUſſu illuſtriſſimi Franciæ Cancellarii, legi *Poëtarum ex Academiâ Gallicâ, qui Latinè aut Græcè ſcripſerunt, Carmina*, quæ typis excudenda cenſeo, uti genuinæ antiquæ poëſeos ſpecimina. Pariſiis, 17. Julii 1738.

DANCHET.

PRIVILE'GE DU ROI.

LOUIS par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amez & féaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conſeil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra ; SALUT. Notre bien amé le Sieur BOUDET, Libraire à Paris, Nous ayant fait ſupplier de lui accorder nos Lettres de Permiſſion pour l'impreſſion d'un Ouvrage qui a pour titre, *Poëtarum ex Academia Gallica, qui Latinè aut Græcè ſcripſerunt, Carmina*, offrant pour cet effet de le faire imprimer en bon papier & beaux caractères, ſuivant la feuille imprimée & attachée pour modèle ſous le contre-ſcel des Préſentes : Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire impri-

mer ledit Ouvrage ci-deſſus ſpécifié, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera; & de le vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le temps de trois années conſécutives, à compter du jour de la date deſdites Préſentes; Faiſons défenſes à tous Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangère dans aucun lieu de notre obéïſſance: A la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impreſſion de cet Ouvrage ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs; & que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du dix Avril mil ſept cents vingt-cinq; & qu'avant que de l'expoſer en vente, le manuſcrit ou imprimé qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Ouvrage, ſera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur DAGUESSEAU Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliothèque publique; un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur DAGUESSEAU Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des Préſentes: Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Expoſant ou ſes ayans cauſe, pleinement, & paiſiblement, ſans ſouf-

frir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement : Voulons qu'à la copie deſdites Préſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, foi ſoit ajoûtée comme à l'Original : Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent, de faire pour l'exécution d'icelles tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion ; & nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires ; Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Paris le trentiéme jour du mois de Juillet, l'an de grace mil ſept cents trente-huit, & de notre Règne le vingt-troiſiéme. Par le Roi en ſon Conſeil.

SAINSON.

Regiſtré ſur le Regiſtre X. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris N. 83. fol. 72. conformément aux anciens Reglémens confirmez par celui du 28. Février 1723. A Paris le 4. Août 1738.

LANGLOIS, Syndic.

553